









JOHANNIS STRAUCHI  
JCTI.

BERYTVS

Seu

AD TIT. COD.

DE METROPOLI BERYTO

*Dissertatio publica*

Recitata

*In Illustris Salanae superiori anno habitâ  
panegyri Doctorali.*

Nunc verò

Uberius & auctius edita



BRUNSVIGÆ

Sumtibus Operisq; ZILLIGERIANIS

Anno Christi

clo lcc LXI,

E. 4.

7

1102. 240. 2. 2. 2. 41  
21  
1854

1660, 18<sup>a</sup>





*VIRO NOBILISSIMO. MAGNIFICO.  
ET CONSULTISSIMO. DNO.*

**POLYCARPO HEY-**  
**LANDO** ICto & Politico eminentissi-  
mo, Serenissimi Ducis Augusti Brunsvico-Lunebur-  
gensis &c. Consiliario intimo, atq; illustri,  
Domino ac Mecænati suo

*Veteris benivolentia, Lipsia sibi olim  
exhibita, non immemor*

Dedicat & offert  
officiosè

*Joh. Strauchius, Philos. &  
J. V. D.*





## LECTORI CANDIDO

& docto Salutem.

**S**uperiori anno, post famosum illum in illustri Academia Salanâ motum atq; tumultum, cum jam omnia ad interitum ejus atq; ruinam spectare viderentur, bono fiebat omine, ut quatuor viri Clarissimi ab amplissimo Ordine Juridico supremos Doctrinae, ut loquimur, honores peterent. Partes tum Promotoris, ut in Academiis vocantur, ex ordine ad me delatae, ut de argumento tam illustri panegyri digno circumspicerem, postulabant. Veniebat itaq; in mentem antiquissima juris Schola Berytensis, cum quod pluribus aliis cum Salanâ nostrâ, tum non minus fatali eâ, quam perpeffa modo fuerat, clade paria facere crederetur. Accedebat, quod et si frequens in jure Justiniano ejus fiat mentio, tamen apud Interpretes, quos videre mihi licuit, non admodum multa reperirem, quae ad illustrandas hujus urbis pariter atq; Scholae antiquitates facerent. Rarò enim Interpretes nostri in Codice ultra librum nonum progrediuntur, & si qui hos fines excedunt, praeter ea, quae Cujacio debentur, de caetero apparent rari nantes in gurgite vasto.

Etiam Amaya, qui alioquin eorum, quae maximam partem ex Hiligeri nostrate, aut Bulengero suo sublegit, valde prodigius esse solet, ut ut trium posteriorum libb. commentarios magnifice promississet, tamen ad hunc titulum adeo nihil tanto dignum biatu promissor adtulit, ut ultra fines libri decimi ne pedem quidem, quod equidem sciam, posuisset.

Si qui verò veterum hos libros interpretati sunt, in eo toti fuere, ut rem quomodo cunq; intellectam ad mores sui seculi & multum mutata jam Reipublica traherent, invitam etiam subinde & reluctantem. Contenti affatim, si generales quasdam regulas vulgatasq; quaestiones aut his locis inferrent, aut inde elicerent. Quod ut penitus non improbem, ita si nihil aliud post hosce ages,  
quid



quid aliud, quàm actum ages? Mihi verò insuper cur ejusmodi  
tricas juris controversi tum non attingerem, quod quidem non a-  
deo erat difficile factu futurum, causa fuit propria, quod scilicet  
panegyri illi Doctorali convenire miminè viderentur, quibus in  
foro, aut ad pulpita declamitandis locus erat aptior. Et ne nunc  
quidem, ex quo omni habitu oratorio detracto, & tractatu  
certis quibusdam capitibus diviso, adjectis etiam scriptorum locis,  
quibus utebamur, hanc diatriben precibus amicorum edituri eram,  
adjicere hac talia, ut maximè voluissemus, licebat. Nam nec tam  
exiguo temporis spacio, quo hic sum, bibliotheca mea huc transpor-  
tata commodè ordinari potuit, aliarumq; Reipublicæ functionum  
moles me illicò occupavit, curasq; eas distraxit. Abs quo fuisset,  
de servorum, hominumve, ut quidam malunt, priorum,  
quos adhuc hodie retinet Germania, conditione, de Academiarum,  
coloniarum, Metropolitum, & in universum de civitatum statu, jure  
& habitu, ut in Imperio nostro nunc sunt, ut & de Metropolitibus  
Saxonicis, & quam non nemo superioribus annis somniavit, statu  
quarundam earum originario paulò voruxōtegv agere non dubitaf-  
sem. Si quid tamen otii & vitæ super futurum posthac sit, curabo,  
ut, qui sub manibus mihi est, tractatui de jure domicilij horum  
pars non minima inseratur. Valet, Lectores candidi & eruditi.  
Vobis enim scribimus, tam vestro monitu ugi tā òixēia àvoupeiv prompti,  
quàm curvarum scavarumq; mentium & vulgi inficeti, quorum in  
hisce judicium aut nullum est, aut ineptum, securi. Dabamus Brun-  
svigæ 18. Novembris Anno M DC LXI.

Johannes Strauchius, Jctus.



CAPUT I.  
De urbe Beryto.


Conspectus.

1. De Scholâ Berytensi ex professo nondum actum.
- 2.3. Nominis expositio, origo urbis, & conditor ejus Saturnus.
4. Saturno sacrificati liberi. Isest Ammonitarum Moloch.  
Baal - Berith.
5. Beer Phœnicibus puteus. Berut, robur, per apocopen.
6. Aliter Beroë dicta, diversa à Beroëa Syriae, quæ hodiè Alepo.
- 7.8. Phœnices partes. Berytus amœna, & fertilis.
- 9.10. Palmulæ Nicolai, unde dictæ, Panis Nicolai.
11. Lanificio excellit Berytus,
12. Baphia, Gynæcia &c. L. fin. C. de vest. holov.
13. Linificia. L. 16. C. Th. de Murileg.
14. Gynæcia. L. 5. C. ad L. Jul. Rep. l. 1. C. de vest. holov. l. 6. 8. 18.  
C. de Murileg. Purpura Tyria.
15. Berytus, emporium. Inscriptio vetus.
16. Species §. 1. l. 122. de V. O.
17. Voluptates Phœnicum Circenses L. 4. de his qui not. inf.  
l. ult. C. de Malef. & Math.
18. Mimarii, Pantomimi, Histriones.
19. Paris Pantomimus in l. 3. ff. de cond. caus. dat.
20. Domitia an Neronis filia rectè appelletur d. l. 3.
- 21, 22. Choraulæ, athletæ. Ubi l. 4. de his qui not. inf. & l. 2. §. 1. ff.  
de Aleat. Fabiani von Quers Walde Ringerkunst.
23. Athletæ coronati vacationem à tutelâ habebant l. eav duo.  
ff. de Excus. tut.
24. Catabolani, funambuli, Petauristæ.
25. 26. Academiae honestis recreationibus non debent carere,
27. 28. Theatrum Berytense, ab Agrippa Rege extractum.
29. Titus Beryti spectacula edit.

∩


CAPUT





CAPIT 1. De urbe Beryto.

1.



Uamvis pleraq; quæ ad  
jus Romanum Spectant, à doctissimis ej<sup>9</sup>  
Interpretibus excussa dudum sint, tamen  
de hac Juris Scholâ Berytensi neminem  
reperi, qui paulò inquisitius pleniusq;  
egisset.

2. Fuit nomen urbi, Beryto, Quod  
pronunciandum penultimâ productâ jam  
olim Hermolaus Byzantius *περὶ πέλεων*, monuit, in *Βηρυτὸς*, cum  
inquit *μακρὸν ἔχει τὸ τ, ὡς τὸ κωκυτὸς, γωρυτὸς, κορδυτὸς*. Id est,  
Berytus ypsilonon habet longum, ut *Cocytus, Gorytus, Cordytus*.  
Quod etsi leve videtur, præterire tamen nolui, quod adhuc de  
pulpitis quandoq; Academicis nescio quæ Berytus citetur.  
Quod quidem in voce peregrinâ facilius condonandum, dum  
modo ipsius Latii indigenis, ut sunt *mediastini, molendina, sed*  
& *Abbatēs*, aliq; pede uno per injuriam correptis, vim ampli<sup>9</sup>  
facere desisterent.

3. Cæterum originem Urbis hujus Stephanus, sive epi-  
tomator ejus, Hermolaus Byzantius ad Saturnum refert:  
*κτίσμα Κρόνου*, ait. Et constat Phœnices (est a. Berytus Phœ-  
niciaæ urbs) Saturnum coluisse Deum, id est, solem, ut Servius  
docet, 1. *Aeneid.* Vocarunt a. Phœnices Saturnum, Baal, Bal,  
& Bel, teste Damascio, in vitâ Isidori apud Photium, ibi *οὐ Φοι-  
νίκες κὲ Κύροι τὸν Κρόνον ἦλ κὲ Βῆλ κὲ Βολάθην ἐπονομάζουσιν: ἦλ, verò*  
esse



esse solem ostendit Servius, de Belo Phœnice loquens: *Omnes, inquit, in illis partibus solem colunt, qui ipsorum lingua EL dicitur.* Huic Saturno, seu Soli Phœnices magnis in cladibus bellorum, pestilentia, æstus & similibus calamitatibus publicarum, sacrificabant liberos, ut tradit Porphyrius, *de abstinentiâ animalium lib. 2.* Et Silius *lib. IV.*

*Mos fuit in populis, quos condidit advena Dido,  
Pescere cæde Deos veniam, ac flagrantibus aris,  
Infandum dictu, parvos imponere natos.*

Diodorus Siculus *lib. 20.* de Carthaginensibus, qui coloni erant, è Tyro Phœnices deducti, narrat, cum ab Agathocle cladem ingentem accepissent, Tyriorum Deos à se neglectos, & propterea iratos sibi immisisse calamitatem suspicatos, Saturno supplicationes decrevisse. Hunc enim ideo adversum sibi verebantur, quod cum superiori tempore filiorum præstantissimos huic Deo sacrificassent, pueros deinde clam entos & nutritos ad sacrificium miserint.

4. Idem Saturnus is est, qui in Cale-Syriâ ab Ammonitis Moloch dicebatur, in cuius honorem liberi per ignem traduci solebant, ut ex divinis annalibus constat. Et meminit hujus Beli seu Baalis in veteri foedere scriptor libri Judicum. *c. 8. & 9.* nominans Baal-Berith; hoc est, idolum Berith nempe ab Israelitis cultum. Alii, quos refert Adrichomius, in miscellaneis variorum locorum, à Gergeseo, quinto filio Canaan conditam, & olim Geris appellatam tradunt, quâ sententiâ etiam est Gvilielm. Tyrius belli sacri *lib. 11. c. 13.*

5. Nomen Beryto ait Stephanus esse *Βερυτο*, quod sit aquosa. *Βηρ* enim seu Beer, Phœnicibus puteum sonare, quod nomen cum Phœnicibus Hebræi commune habent: Sed quod ibidem addit Stephanus, Histiaum hanc urbem ita dictam



Etiam opinari, quod in Phœnice, Βηρὺτ seu Beerut, robur significet, id Josephus Scaliger *ad Eusebium* non credit, qui Stephano imposuisse quisquis ei persuasisset, sciscit: At verò Samuel Bochartus *de coloniis Phœnicum lib. 2. C. 12.* ita hoc probat, ut berut, per apocopen, pro, abirut, dicatur. Validam ergo & valdè munitam Berytum fuisse hoc nominis etymon arguit.

6. Dicta etiam fuit Berôe, præsertim Poetis, nec confundendum tamen nomen cum Beroeâ Syriæ, quæ hodie Alepo est. Quas cum non satis distingverent viri docti, inde errores, etiam Ortelio, offusi. Quos notat Scaliger *ad Eusebium fol. 130.* Hodie etiamnum nomine suo, vel parum certè immutato, Barut, signatur. Cæterum *Beruam* cuius mentio *Inscript. 1. p. 178.* non licet exponere de Berroea, sive Thraciæ, sive Syriæ, sive Phœnicia. Est enim inter oppida Rhætica, e-  
oq; Beruenses *in 8. p. CCCCIX.* nominantur velut vicini cum FELTRINIS, iidem cum Belunensibus,

7. Est autem ut dixi, urbs Phœnices, quæ regio sacris scriptoribus in duas dividitur partes, unam Galilæam Gentium, inter Chersæi fluminis ostia & Antilibanum montem, & Syro-Phœnicen alteram, quæ est inter Antilibanum & Libanum montes. Sita hîc est Berytus ad mare Syriacum inter Biblum & Sidonem media. Bernardus de Breitenbach, nobilis Teutonicus, Ecclesiæ Maguntinensis Decanus & Camerarius, qui seculo decimo quinto, nempe anno M. CCCCLXXXIII, cum Johanne Comite de Solms, Domino in Minzenberg iter in terram sanctam suscepit, scribit Barutum, ut hodie vocatur, quinq; miliaribus Germanicis distare à Sidone,

8. Interpres vetus Geographi anonymi, quem primus Iacobus Godofredus, Jctus nostræ ætatis incomparabilis pau-  
cis



cis abhinc annis Latinâ versione aliâ à se donatum edidit, valde deliciosam urbem hanc appellat. Et Ammianus eam amœnitate cum Tyro & Sidone pariter excellere tradit. Planè in hujus laudibus luxuriari Nonnus *Panopolita lib. 41. Dionysiacorum*, videtur ubi *ρίζαν βίβ, πολίων τροφόν, εὐχῶ ἀνάκλων*  
*ἔδρανον Ἑρμείας, Δίκης πέδον, ἄστυθεμίτων*  
*ἔνδιον εὐφροσύνης, παφίης δόμον, οἶκον ἐρώτων,*  
*βάκχας περπνὸν ἔδεθλον, &c.* appellat. Breitenbachius nobilem & antiquam civitatem laudat. Nec immerito. Nam & naturæ benignitate, & ingeniosis indigenarum voluptatibus maximè fuit nobilitata. Natura eam fecit fertilissimam frumenti, vini, olei, quibus naturæ dotibus cum Scythopoli, Laodicæa, Biblo, Tyro, Cæsareâ & Neapoli Geographus Godofredi eam comparat.

9. Inprimis palmulas seu dactylos commendat, quas è Palæstinâ, Hierichunte accipiant, Berytenses & peculiari nomine Nicolaos ait appellari. Quo nomine quoq; Plinio laudantur *lib. 13. c. 4.* Indidit autem hoc eis Augustus Imperator de nomine Nicolai cuiusdam Damasceni, Philosophi peripatetici, qui Augusto, his valde delectato subinde eas mittere solitus fuit, ut præter Plutarchum *symposiacorum lib. 8. c. 4.* & Athenæum *lib. 14.* scribunt Photius in bibliothecâ, Suidas, Hesychius Illustris Milesius, in Nicolao, & Isidorus in glossis.

10. Transit hæc Augusti denominatio in ipsam dactylorum patriam, Palæstinam, & à recentioribus Hebræis in linguam suam recepta est. Exstat enim in *Talmude, de cultu alieno c. 1. in mischnâ*, ubi habetur, vetitum Judæis fuisse, Nicolaos idololatriæ vendere, teste Buxtorfio in Lexico, voce *Niclas, & Niclas.* Sed & genus quoddam placentæ mellitæ ab eodem Nicolao, *panis Nicolai* audiebat, non minus olim, quam hodie Marcipanis noster, celebratus. Quo de pane Nicolao Athe-



næus, Suidas, Theophrastus, Serenus Sammonicus, & Palladius de Monachis Ægypti *historia* 8.

II. Porrò insigni linificii arte excelluisse Berytus celebratur, ut inde linteamina ejus vicinarumq; urbium in omnem terrarum orbem missa scribat anonymus Geographus.

12. Hinc illa baphiorum, linificiorum, gynæciorum, per Orientem, tam frequens in jure nostro fit mentio. Quæ erant officinæ tinctoriæ inficiendis linteis. De baphiis exstat constitutio Theodosii & Valentiniani, ad Apollonium, Comitem Saer. Larg. in *L. fin. C. de Vestibus holoveris*, ubi Imp. præcipiunt, septimum de scrinio Exceptorum, sextum de scrinio canonum, quintum de scrinio tabulariorum ad baphia Phœnices per certum tempus mitti, ut fraudi vendendarum purpuræ nundinarum occurratur.

13. Linificiorum nomen erat textrinis linteæ vestis *L. 16. C. Th. de Murileg.*

14. Gynæcia autem erant textrinæ ad vestes Principis conficiendas. Horum mentio fit *Leg. V. C. ad L. Jul. Repet. L. I. C. de Vestibus holov.* Item *L. VI. IIX, XVIII. C. de murileg.* Procuratores Gynæciorum fuisse sub dispositione Comitis S. L. ex Noticiâ Imperii Orientalis constat. Hæc baphia tingendæ purpuræ Imperatorum inserviebant. In primis purpura Tyria decantata est, ubi tum singulare fuit textrinum, purpuræ vesti conficiendæ. Videndus est Strabo *lib. 16.* Meminit Imp. purpuræ Tyriæ §. *siquis agens. 33. Inst. de act.* Sed præ cæteris ob purpuram alitinam Geographus Anonymus celebrat Liddam urbem, quæ & Diospolis audit. Quemadmodum Sidon ob inventam vitri fusionem famigerabilis. His ergo naturæ deliciis nobilitata cum esset Phœnicia, quàm mercimoniorum gratiâ ab exteris ad eam frequens aditus fuerit, facile conjectu est. Possem ex omnis generis scriptoribus prolixè id demonstrare, nisi institutum me meum reprimeret. De



15. De Beryto nostrâ, perinde atq; Tyrus & Sidon, me rci-  
monii florente inscriptio vel sola testari possit, quam sugges-  
sit mihi Vir Cl. Dn. Reinesius, universæ antiquitatis literariæ  
depositarius, amicus meus honoratissimus, quæ Neapoli in æ-  
dibus Marcelli Muscettolæ Equitis legebatur, his verbis

IMP. CÆSARI  
IEROPOLITANI  
PERYTENSES  
QVI PUTEOLIS CONSISTUNT.

16. Unum, quia ad professionem meam spectat, non o-  
mittam, nempe frequentissimam à Beryto Brentesium, seu  
Brundisium fuisse navigationem. Id quod præter Dionem &  
Scævola noster *lib. 28. Digestorum suorum*, unde petita *L. qui Ro-  
mæ 122. §. 1. de V. O.* narrat. Cujus paragraphi, oppidò elegan-  
tissimi nec minus difficilis non prætermittamus speciem: Cal-  
limachus quidam mutuam pecuniam seu trajectitiam à Sticho  
servo suo accepit in provinciâ Syriâ, civitate Beryto usq; ad  
Brundisium, seu Brentesium. Sic enim *Stephanus* *ἡ πόλις*  
Græcis scribi auctor est. At Ptolomæus *ἑρενδέσιον* scribit. Nu-  
mismata, Bryndisium. Poëtis Brenda, Brunda; Benjamini Tu-  
delensi Barnedis, & hodie, Brindisi. Est ea Calabriae urbs, portu  
quondam celebris, quem præpetem Ennius appellabat, *Gell. lib.  
9 c. 4.* Meminit Ulpian<sup>o</sup> *in l. 1. §. igitur 12. de Exerc. adt. navium*, qui  
Brundisiū à Cassiopa vel à Dyrrhachio vectores traiciât. Sed ad  
Callimachum. Is pecuniam mutuo acceperat, & merces eâ  
comparandas creditori Sticho pro eâ oppigneraverat, hoc  
pacto statim adjecto, ut in reditu ante Idus Septembres Brun-  
disio enavigaret, quod nisi faceret, ut tum continuo pecuniam  
redderet Eroti Stichi conservo, pecuniâ profecuto, cum sum-  
tibus in profecutionem & deportationem ad dominum Sejum  
Romam usq; faciendis. Quæ omnia stipulanti tandem Sticho  
Calli



Callimachus promiserat. Nave postmodum submersâ, Callimachus, quia post eidus enavigarat, consensu licet Erotis, quærebatur an nihilominus Titio ad pecuniam teneretur, ita, ut pecuniæ ejus periculum esset debitoris. Ubi hoc rem reddebat ambiguum, quod Eros, *κερματάκολυθος*, in tardio rem enavigationem consenserat. Erat enim moris, ut pecuniâ trajectitiâ acceptâ creditor servum mitteret cum navigante v. g. Româ usq; ad Salonam, ut in speciè *L. pen. C. de Naut. Foen.* & in nostra lege Beryto Brundisium usq;, ut nave salvâ in portum delatâ servus eam pecuniam exigeret, cum usuris. Patet id ex *L. Rhodiâ de nautico fœnore*, ubi *in fine cap. ultimi* ita: *ὁ δὲ χεῖρας τὰ χεῖματα ἴπιπεπέτω ἄθροπον, ὅς ἂν ἴπιχρῶννυται.* *Leuncl. Jure Græco-Romano p. 2. p. 267. n. 21.* At ratio decidendi erat, quod servus Eros domino actionē semel quæsitâ postea paciscendo ad imere non posset. *L. contra 28. §. si filius. l. 59. ff. de pact. l. 3. C. eod. tit.*

17. Postulat jam ordo mihi propositus, ut de voluptatibus Phœnicum, adeoq; Berytensium ingenio vel excogitatis vel adauctis dicam. Et constat cum ex aliis, tum ex Juvenalis *sat. III. Kapitolino, in Vero, & Libanio, oratione pro saltatoribus*, inter omnes gentes haut voluptati aliam magis fuisse deditam, præter quam Syros. Quàm omnis generis ludis indulserit Antiochia, Libanius docere possit, *in Antiochico, & Zosimus rebus Juliani.* Præcæteris ut Circenses deperierit vel solus Johannes Chrysoftomus dicet. Neq; tamen hoc certamine Berytum Antiochiæ cesserit geographus anonymus prodit. Qui ludi Circenses ex historiâ Romanâ notiores sunt, quàm ut dici oporteat. Etiam juris Studiosis cogniti de nomine agitatorum, quos ita Ulpianus *L. IV. de his qui not. inf. nuncupat*, esse debebant. Et *l. ult. C. de Malef. & Mathem.* agitadores interpretantur Theodosius & Valentinianus, aurigas. Et hæc Circensium cognitio ad intelligendum titulum *Cod. de spectac.* apprimè juvat.

18. Præ-





18. Præterea Tyrum Berytumq; excelluisse mimariis idem quem sæpius laudo, geographus anonymus scribit, ubi & Cæsarêam Pantomimis celebrat. Fit horum mentio in *L. XXV. § 1 & L. XXVII. ff. de oper. libert. L. XLIII. in f. de act. emt.* Latini histriones nominabant.

19. Celebris Romæ hoc ludicro fuit quidam Paris, quem Neratius Ictus, libro membranarum refert à Domitiâ Neronis filiâ, decem, quæ ei pro libertate suâ, ut se manumitteret, numeraverat, repetisse per Iudicem, scilicet conditione causâ dati, causâ non secutâ, ut tradit Ulpianus *l. III. ff. de cond. caus. dat.*

20. Ubi *ὡς ἐν παρόδῳ* attingam, à Dionysio Godofredo frustra Neratio in *de L. III.* errorem impingi, quod Domitiam Neronis filiam appellet, quæ tamen fuerit amita, teste Tacito *lib. XIII & Dione* in rebus Neronis. Sed non erravit Neratius: Errat Dionysius. Domitia fuit Neronis omninò filia: Sed non Principis Neronis; verùm ejusdem avi, & soror Cnei Domitii ænobarbi, qui pater erat Neronis Principis.

21. Sed redeo ad ludiones Phœnicios, inter quos cho-  
raulæ numerantur, quorum præstantiâ Heliopolis claruit: Gaza acroamaticos & Pammacharios, Ascalon athletas dedit.

22. Sed athletæ artem ludicram facere Romanis non videbantur, sed virtutis gratiâ exerceri, ut habet Ulpianus in *L. IV. ff. de his qui not. inf.* Horum exercitatio, quibus partibus constiterit, refert Ictus Paulus in *L. 2. §. 1. ff. de Aleat.* nempe certare hasta, pilo jaciendo, currendo, saliendo, luctando, pugnando, & addit, virtutis causâ fieri. Nempe hæ erant exercitationes quinq; palæstræ, cursus, lucta, saltus, jactus, pugillatus cum cestibus, unde Græcis pentathlum dicebatur, & quinquertiones Romanis, qui his eruditi. Videri potest Alciatus noster ad *L. sing. C. de athl. lib. 10.* Turneb. *lib. 27. adv. c. 8.* Julius Scaliger

B



liger 1. Poet. 22. Et præ cæteris, Hieronymus Mercurialis *de arte gymnasticâ* Ex his lucta etiam Germanis, Majorum memoriâ, valdè fuit commendabilis. Exstat adhuc Fabiani von *Uuerßwalde Ringerfunst*/anno 1393, excusa, è cujus præfatione liquet, quanto in pretio hoc exercitium Ernesti Saxonis Electoris tempore in Aulâ fuerit.

23. Cæterum Romæ athletæ in sacris certa minibus coronati excusationem à tutelâ habebant, *L. ἐὰν δύο, §. Ulpianus. ff. de Excusationibus tut.* Et si per omnem ætatem certassent, & coronis, non minus tribus coronati sacris certaminibus fuissent, civilium munerum vacationem impetrabant. *L. sing. C. de Athl. lib. 10.*

24. Deniq; ait geographus Godofredi, Catabolam, & ipsam Phœnices urbem, insignes dedisse funambulos, qui per extentum funem volantibus similes, pendente vestigio ferebantur in sublime. Quibus accensebantur *νεφεσβάται*, qui velut in ventis cothurnati ferebantur, sed & *ἀνεμοβάται* & *ἕρηνόπτεται*, de quibus illud Juvenalis capiendum:

*Graculus esuriens in cælum jusseris, ibit.*

& deniq; petauristæ, quod *πεῦς ἀέρος πετῶνται* id est, in aërem volant, ut habet Ælius Stolo apud Festum.

25. Sed satis jam ludorum, qui Academiam Berytensem voluptatibus perfuderunt. Non enim credebant veteres, studiosos in Academiis, tanquam latumiis compingendos aut velut servos ergastulis concludendos esse, quod qui agunt, insulos & amentes, quàm politos ac doctos citius efficiunt.

26. Quare prudentes viri, qui vel Principibus ad statuendas Academias auctores fuere, vel quâ ratione Academia bene conservari queant, scriptis consiliis docuere, magno consensu, svadent, ut exercitationes corporis, & aliæ recreationes, nec illiberales tamen, in Academiis habeantur,

27. Porro



27. Porro imperante Claudio, ab Agrippâ Rege eximiis ornamentis honorata Berytus est, magnis sumptibus exstructo ibi theatro pulcerrimo, simul atq; æquè magnifico amphitheatro, & adhæc balineis atq; porticibus, Quorum operum dedicatio splendidissimè fuit celebrata, exhibitis in theatro spectaculis, & musicorum omne genus certaminibus aliâq; voluptatum varietate: In amphitheatrum autem ad ostentandam magnificentiam inductis plurimis gladiatorum paribus.

28. Volens deinde spectatores oblectare, etiam catervatim commissis pugnantibus, ex maleficis in hoc destinatis duas cohortes fecit, septingentorum quamq; hominum, ut illis per imaginem belli decernentibus, pœna noxiorum in pacis voluptatem verteret, ut eleganter loquitur, qui hæc describit, Josephus, antiquitatum Judaicarum libro decimo nono. Idem libro vicesimo narrat, hunc Agrippam, theatrum impendiis magnis ædificatum ornasse spectaculis annuis, assignatâ in eum usum ingenti pecuniâ vi. Frumentum etiam donasse populo Berytensi, & oleum viritim distribuisse, rotamq; eam urbem ornasse statuis passim dispositis, atq; expressis ad antiqua clarorum artificum archetypa imaginibus, omniaq; penè regni sui ornamenta in eam civitatem transtulisse.

29. Porro Vespasiano Imperatore, post excidium Hierosolymitanum Titus Cæsar Berytum venit, ubi diutius moratus natalem Patris tantâ magnificentiâ celebravit spectaculorum, quantâ vix unquam alias, multis ibi captivorum Iudæorum bestiis objectis, & depugnatione gladiatoria absumentis, teste Iosepho, *de bello Iud. lib. 7. c. 20.* Sic itaq; exornata Berytus nostra indies celebrior quin facta fuerit, non dubium est, usq; adeo, ut Imp. Theodosius & Valentinianus propter multas justasq; causas, ut ipsi profitentur *in l. sing. C. de Metrop.* eam metropolitano nomine & dignitate exornarent, jam satis antea, ut habent Imp. verba, suis virtutibus coronatam.



CAPUT II.  
*De Beryto coloniâ, Italici juris.*  
*Conspectus.*

1. Berytus, colonia Italici juris
2. Coloni qui, Colonia, prædium rusticum. Coloni, ἀποχοί.
3. Colonia quid, origo earum.
4. SCta, aut populi rogationem requirebat. Lex agraria.
- 5.6. Subditi Imp, Romano diversæ conditionis. Jus civitatis, Latinitatis, Italiae, &c.
7. Hæc jura suis quæq; locis adhærebant. Inde etiam extraneis privilegii instar data.
8. Berytus quando colonia facta. Coloniae militares.
9. Jus Italicum quando ei concessum.
10. Numi quidam, de coloniâ Berytensi
11. Colonia Agrippina, dicitur & Claudia, Vetus inscriptio.
12. L. ult. ff. de Cens.
13. De variis colonorum generibus.
14. Coloni adscriptitij: Ἐναπόγραφοί γεωργοί.
15. Adscriptiti unde & an ita dicti, quasi terræ adscripti.
16. An liberi, an servi, an medii.
17. Sunt servi, non tamen peculiaris servor - species.
18. Theophilus notatur.
19. Probantur esse servi.
20. Quidam colonorum liberi.
21. Similes Hilotis Laconicis & aliis Græcanicis.
22. De Thracensibus. Explicatur L. sing. C. de Col. Thrac.
23. De priscor. Germanorum servis.
24. De Saxonum Lassis, Latis, Litis.
25. Testimonium Glossæ Sax.
26. Gallorum Manus mortuæ.

i. Ma-



<sup>1.</sup>  
**M**ajus ad gloriam Beryto mo-  
mentum Regina gentium Roma contulit, dum  
coloniam, eamq; Italici juris effecerat. Ait  
enim Ulpianus noster *libro 1. de censibus*, unde  
sumta *l. 1. ff. eod.* Berytensem coloniam non so-  
lùm Augusti beneficiis gratiosam esse, sed & jus Italicum habe-  
re. Idem affirmat Gajus *lib. 6. ad L. Juliam & Papiam in L. 7 ff.*  
*de cens.* & Paulus *lib. 2. de censibus*, unde est *L. 8. d. tit. §. 3.* dicens  
Laodiceam in Syriâ & Beryton in Phœnice juris Italici esse &  
solum eorum. Videndum itaq; de jure coloniæ.

2. In genere coloni intelliguntur, qui colunt agrum, si-  
ve suum, sive alienum. Deinde specialius coloni in jure appel-  
lantur, qui prædium rusticum conductum exercent. *l. 37. de adq.*  
*poss.* & ita distingvuntur ab inquilinis, qui ædes conductas habent.  
Colonia ejusmodi prædium rusticum, à colono possessum *l. 24.*  
*§ 4. ff. loca. l. 20. §. 3. ff. de Instr. vel instr. leg.* Porrò sunt & alia  
colonorum genera, quæ novissimè collegit Dn. Justus Hahn,  
*tract. de jure colonario*. Nobis ad id genus colonos properandū,  
qui Græcis ἀποικισται, qui patriam suam migrantes novas sedes quæ-  
runt, quorum proinde civitas colonia, ἀποικία, appellatur. Et  
possint itaq; tot numerari coloniæ, quot migrationes gentium  
in alias terras, novarum sedium quærendarum gratiâ institutæ  
fuerint. Sed continebimus nos intra rempubl. Romanam. Ibi  
coloniæ erant, ut Gellius finit, civitates ex civitate Romanâ  
propagatæ. Initium instituti ad Romulum refert Dionysius,  
qui loca bello capta non præsidiis, sed colonis muniebat. Vide  
*Lips. de magnitudine Rom. l. c. 6.*

4. Semper autem S Cto opus erat, aut rogatione populari  
ad coloniæ deductionem, quæ lex agraria appellabatur. Cujus  
legis omnem fere rationem explicat Sigon. *lib. 2. de antiq. jure*



*Italia c. 2.* Hac lege acceptâ, aut Scto factô, curatores, qui deducendæ colonix creati, colonos in coloniam sub vexillo deducebant. Cicero in Rullum; *Tum illud vexillum Campana colonia vehementer huic imperio timendum Capuâ à Decem viris inferetur.* Horum quæ signa fuerint ex numis antiquis videre est.

5. Berytus nostra colonia fuit jure Italico ut vidimus. Quid verò quantumvé fuerit jure Italico potiri, non possunt ignorare, qui non peregrinantur in historiâ atq; antiquitate Romanâ. In primis non ignorare debebant Juris studiosi, quibus cum civibus Romanis, cum peregrinis, cum deportatis, cum prædiis stipendiariis, tributariis, Italici juris, & horum similibus assidue in scholâ juris Romani res est, nec intelligi jus illud sine his rectè potest. Dicam autem paucis.

6. Qui in potestate ac ditione Pop. R. erant, diversâ oppidò conditione fruebantur. Alii civitate Romanâ, alii jure Italico, alii jure Latii, alii jure provinciarum potiebantur. Et post cives quidem optima eorum erat conditio, qui jus Latii nacti. Ut enim hoc jure civitas Romana præstantior, sic Italico Latinitas, & Italica conditio provinciali honestior erat, atq; commodior. Quam differentiam Imperator Claudius apud Tacitum oratione quadam exprimit, cum dicit, plebeios magistratus post patricios, Latinos post plebeios, cæterarum Italiæ gentium post Latinos, exterorum post Italos existisse.

7. Quibus autem prærogativis singulorum conditio exornata fuerit, prolixum esset referre, & jam Sigonius accuratè peregit. Strictim ut attingamus, Latinitatis jure potientes neq; libertatis, neq; gentilitatis, neq; sacrorum, connubiorum, patriæ potestatis, legitimi domini, testamentorum, tutelarum, jura eadem usurpabant, quæ cives Romani, nisi fundi facti essent. De populis Fundis præter Sigonium vide Ismaelem Bulialdum tract. de fundis populis, In cæteris autem rebus propius ad civium



um Rom. jura accedebant, ut in censu & tributis. Militabant in auxiliis, non in legione, nec suffragium, nisi legum jubendarum causa, si inter magistratus convenisset, Romæ ferebant, & qui domi ædilitatem & quæsturam gessissent, ii Romæ se pro cive Romano gerere poterant. Italicum autem jus in cæteris quidem reb<sup>9</sup> cum Latinitate fere conveniebat, præterquam in suffragio cujus nullam partem Italici adepti sunt, nec ad civitatem aditum habebant. An coloniæ juris Italici provinciales immunitatem tributorum habuerint ex ipso Italico jure, an speciali concessione, disputat Cujacius *10. O 35.* contra Turnebum, utputo & probat, immunitatem specialiter habere. Cæsariensis enim colonia prima Flavia, quam Vespasianus deduxit, auctore Plinio *5. cap. 13. & Nov. 103.* immunis est. *L. ult. ff. de cens.* Remisit enim ei Vespasianus tributum capitis: At quia non ideo & remissum videbatur tributum soli, postea Titus & solum ejus immunefactum, interpretatus est. Nec ideo tamen Cæsariensis colonia jus Italicum habuit. *l. 1. ff. eod.* Et *Plin. lib. 3. c. 3. & 21.* civitates aut colonias immunes separat ab iis, qui jus Italicum habent. Sed ut quid mihi videatur dicam, satis hoc quidem probat Cujacius, colonias, quæ juris Italici non essent, immunes quandoq; factas esse, idq; speciali jure: Sed non probat, quæ juris Italici fuerint eas hoc ipso immunes non fuisse. Quod sibi tamen sumserat. Imò juri Italico immunitatem à tributis inhæsisse non malè concluderis *ex l. ult. §. 7. de Cens.* quia Vespasiano Cæsarienses colonos efficiente, non adjecto, ut & juris Italici essent, tributum tamen his remittente capitis, Divus Pius & solum immune factum interpretatus est. Quæ interpretatio utiq; falsa futura fuisset, nisi jus Italicum immunitatem secum tulisset. Et in primis facit verbum, quo *Jctus* utitur, interpretari. Si enim Titus proprio motu, ultra Vespasiani mentem aliquid gratificari voluisset Cæsariensibus, constituendi vox usurpanda potius fuisset,

8. Cæ-



8. Cæterum hæc jura primitus locis suis fuere quasi affixa, ita ut quæ loca extra Italiam essent, jure Italico potiri non possent: Sed Italiâ oriundus Italico, Latinus Latii jure fruebatur. At verò post L. Juliam bello Italico, anno urbis 662. cum universa Italia in tribus coniecta in civitatem Romanam acciperetur, etiam exteris populis, præmii & honoris instar tribuicæpit, ut aliis civitas, aliis Latium, aliis jus Italicum pro suâ cujusq; erga rempubl. Romanam fide concederetur,

9. Ergo & nostra Berytus cum apud Augustum impensè gratiosa esset, Colonia Romanorū facta, ita nominât enim Josephus *de bello Judaico lib. 7.* anno Augusti XXX. ut notat Eusebius, jureq; Italico potita est. Et quidem coloniæ jus accepit M. Agrippâ, jussu Augusti, ex veteranis colonos Berytum deducente, teste Strabone, *lib. 16.* Quod genus coloniarum, militares audiebant, adeundus est Sigonius *de ant. jur. Ital. lib. 3. c. 4.* ut præliorum diuturnitate, fessi præmium aliquod aliquando caperent periculorum laborumq;

10. Videtur jus Italicum Beryto datum, M. Apulejo, & P. Silio Coss. cum in Syriam Augustus proficisceretur, Tyriis ac Sidoniis propter facinus supplicium irrogans, ut est apud Dionem *lib. 54.* Inde nomen eum Augustanæ coloniæ, quo nomine Hadrianum in quâdam oratione eam exornasse testatur Ulpianus *ICTus in d. l. 1. §. 1. ff. de Cens.* Quæ forsan fuit oratio quam de Italicensibus habuisse Hadrianum ex Gellii *lib. 10. c. 18.* primus, quod sciam, observavit Cujac. *lib. 10. O. 35.* in quâ de municipiorum & coloniarum jure egit: Junge Pancirol. *lib. 2. var. lect. cap. 152.* Laz. *de rep. Rom. lib. 12.* tum coloniæ FELICIS JULIÆ accepit, ut habet numus quidam Golzij, & Plinius *lib. 5. c. 20.*

11. Visuntur adhuc numi, quos Golzius idem servavit, Imp. Augusti quibus Duumvir stivam manutenens, more Sabino



bino cinctus, id est, parte togæ caput velatus, & parte succin-  
ctus, taurum in dextram & vaccam intrinsecus junctos sequi-  
tur, & glebas omnes intus vertit, ac sulco ducto loca moenium  
designat, inscriptumq; : COLONIA JULIA BERYTENS.  
Hac enim figurâ coloniæ Italici juris exprimebantur, ut ex Var-  
rone liquet, *lib. IV. de LL.* Est & numus Antonini Britannæ  
COL. JUL. AUG. FEL. BER. Et vetus Inscriptio COL. JU-  
LIA AUGUSTA BERYTUS. Sed demum hæ civium, Lati-  
norumq; & Italicorum differentiæ sublatae quoq; sunt, cum o-  
mnes in orbe Romano cives efficerentur. Quod ab Imp. An-  
tonino effectum esse Ulpianus *l. 17. de Stat. hom. affirmat.* Quem  
Antonium Pium exponit Aureli<sup>9</sup> Victor. Sed Adriano tribuit  
Chrysofomus in acta, Caracallæ Dio, & Marco malit tribuere  
Cujacius. Sed ab excerptis Constantini Porphyrogenetæ, quæ  
Nicolaus Peirescius Henrico Valesio vertenda dedit, hujus be-  
neficii auctorem M. Aur. Antoninum Caracallam, Severi filiū  
fuisse, hodie constat. Unde *d. 17. de st. hom.* non loqui de Anto-  
nino Pio: Sed Antonino Caracalla, & Aurelio Victori nomi-  
nis similitudinem imposuisse jam certum est. *Confer. Christ. Ad.  
Rupert. ad Pompon. p. 17.*

12. Porro, quod diximus de coloniis militaribus, ejus e-  
xemplum præbet & in Germaniâ Colonia Agrippina ad Rhe-  
num quæ veteranorum Romanorum colonia, ut audit, est. Er-  
rat enim Ubiorum oppidum in quod Agrippina veteranos ca-  
loniâmq; deduci jussit, cui nomen ex vocabulo Agrîppinæ in-  
ditum. *Tacitus lib. 12.* Agnominata etiam fuit Claudia, ut in  
lapide, quem Lipsius exhibet:

M. Mario. M. F.

STEL. TITIO. RUFINO

COS.

LEG. LEG. I. MINER. P. F.

C

CUR.



CUR. COL. CLAUD. AUG.  
AGRIPPINENSIVM  
PROCOS. PROV. SICILIÆ  
CUR. AMITERNOR. PRÆF.  
TR. PL. Q. PROV. MACEDON.  
SEVIR. TURMAR. EQ. ROMANOR.  
TRIB. LATICL. LEG. I. ADIU. P.P.  
III. VIRO. STLITIBUS. JUDIC.

13. De hâc ICtus Paulus in *l. ult. §. 2. ff. de Cens.* tradit, quòd & ipsa Juris Italici fuerit. *In Germaniâ*, inquit, *inferiore Agrippinenses Juris Italici sunt.* Sæpè etiam incidit quæstio, utrum colonia censeatur ex solo, an ex deductis colonis. Quo pertinet controversia inter Syros & Judæos, cum de urbe Cæsarea coram Nerone contenderetur apud Josephum. Judæi tendebant conditam esse ab Herode, & Judæos ab eo deductos; itaq; esse Judaicam. Syrii contra; Herodem condidisse quidem, sed in Syriâ. Imò verò protulisse, quàm condidisse magis. Cum enim antea Turris Stratonis appellaretur, àq; Syriis colebatur, Cæsaream nominasse, mutasse nomen, non colonos; Aedificasse eo animo, ut non adscriberet Judæis. Nam in urbe templa, in templis imagines posuisse, quas Judæi non tolerant. His rationibus Nero pronunciavit, Syriorum esse. Eâdem decidendi ratione, quâ Insula Salamin Atheniensibus adjudicata fuit. Cum enim de eâ inter Athenienses & Megarenses contenderetur, pro Atheniensibus dicente Solone, pro Megarensibus Heræa quod incolæ in sepeliendis mortuis ritum Atheniensium non Megarensium sequerentur, cum haberent sepulcra ad orientem posita, insculptaq; familiarum nomina, Atheniensium esse creditum & pronunciatum est. Simile quid de Monâ seu Maniâ Insulâ legitur decisum. Hæc enim cum media inter Boreales Hiberniæ & Britannia partes porrecta esset, utri terrarum cedere



cedere debeat dubitatum fuit. Sed cum Hibernia venenosa animalia non ferat, & periculi faciendi causa vermes venenosos in vectos admitteret, insula Britannis addicta fuit. *Cambden. Brit. de Ins. Monâ.* An missione in coloniam civitatis jus amittatur, dubitatum quoque fuit? Certè id ex jure coloniae petendum videtur, ut si colonia Romani juris esset, cives jus civitatis non amitterent: Sin Latini juris foret colonia, mediam capitis diminutionem paterentur coloni Româ missi. Sic enim Boëthius in expositione Topicor. deductione in Latinas colonias cives R. Mediam capitis diminutionem passos esse, & Romanam civitatem amisisse, testatur. Porro ut maximè civis R. in coloniam Romani juris ductus jus civitatis retineret, non tamen id omne, nec plenum, sed illud jus tantum retinuit, quod privatum dicunt, ut libertatis, connubiorum, patriæ potestatis, legitimi domini, hereditatis, mancipii, nexus, usu capionis, tutelarum, testamentorum, & similiû. Præterea si qui alii in eam coloniam nomina dedissent, civitatem quidem suam amittebant, nec cives tamen Romani efficiebantur. Hinc Liv. lib. 34. *Novum jus eo anno à Ferentinatibus tentatum, ut Latini qui in coloniam Romanam nomina dedissent, cives R. essent. Puteolos Salernumq; & Buxetum adscripti coloni, qui nomina dederant, cum ob id se pro civibus Romanis ferrent, senatus judicavit, non eos cives Romanos esse.* Denique quod Grotius statuit missione in coloniam novum nasci populum sui juris, 2. de I. B. 9. §. 7. 8. id neque jure Gentium simpliciter admittendum putamus, sed omnino videndum, cujus auspiciis, quâ mente, quo jure, in quæ loca emittantur. In dubio tamen, cum de jure Gentium quæstio est, nec de mente mittentium constat, & in loca fit missio, quæ civitati, unde exit colonia, non paret, populum liberum & sui juris factum, facile admitterim. Et ita intellexerim, quod Rex Tullius ap. Dionysium



ait: τὸ δὲ ἄρχειν ἐκ παντὸς τῶν ἀπάντων τὰς μητροπόλεις ὡς ἀναγκᾶν  
πὶ φύσεως νόμιμον, ἔτε ἀληθὲς ἔτε δίκαιον ἤξιστο ἀφ' ἡμῶν. *Ut per  
omnia metropoles imperent coloniis, quasi natura lege, nos neq; ve-  
rum, neq; equum arbitramur.*

14. Cæterum, reperiuntur in iure nostro certi generis  
coloni ut Illyriciani, Thracenses, Palæstini, *lib. XI. Cod.* de qui-  
bus quia nondum inter eruditos expedita omnia, res repeten-  
da altius. Notum autem est, colonos Romanis dictos ab agro  
colendo, sive suo, sive alieno. Et suo, vel suis, vel servorum,  
vel deniq; mercenariorum manibus. Et quidem adhibeban-  
tur his operis servi, non solum ergastulis inclusi, ut & vincti ter-  
ram arantes, & qui pœnæ causâ in agros fuerant deportati, de  
quibus *l. ex facto. 35, §. 3. ff. de her. inst.* Sed hi coloni non au-  
diebant.

15. Erant adhuc alii, scilicet soluti, qui contubernia ruri  
habebant, & veluti familiam quamdam, destinati, ut agris o-  
perarentur. Hi adscriptitii, puta coloni, & censiti dicti. Ad-  
scriptitii Græcis ἐναπόγραφοι. Glossæ vett. ἐναπόγραφοι, *adscripti-  
tius.* Sic & Basilicæ *lib. 55, tit. 11.* Et *lib. 48, tit. 25.* & *tit. seq. lib.  
55, tit. 1.* & γεωργοί. *Clem. Alexand. libro 2. Pedag. c. 1.* ubi γεωργὸς  
opponit τοῖς κλήτορσιν. Et ita Basilica colonum passim agricolam  
appellant. Et observat Appianus *lib. 2. de bello civ.* divites a-  
gro inculto occupato non jam fundos, sed amplas regiones  
coluisse per agricolas & pastores pretio emtos, idq; propterea,  
ne si liberi homines essent, ab agriculturâ ad exercitus avoca-  
rentur. Quo factum, ut agri mancipiis complerentur.

16. Horum originarii quidem seu originales si ruri, cui ser-  
viebant, nati. Sin agro à domino deputati, adscriptitii & censiti  
appellabantur, quia in censum relati. Nam servorum non so-  
lum omne genus in censum deferabatur, natione, ætate, offi-  
ciis, & artificiis specialiter expressis, *L. forma. 4, §. 5. ff. de Cens.*  
Sed



Sed & coloni, qui terræ alicui colendæ destinati in censum refererebantur, & ita differebant à liberis, qui mercede conducti rus colebant. Quare cum Desiderio Heraldo adscriptitios, non quòd terræ, ut colonia suæ olim in eam deducendi, adscripti fuerint, dictos putamus, etsi pleriq; omnes ita sentiunt, sed quòd censibus adscripti. *l. colonos, 19. C. de agr. & cens. Rubr. & l. 2. C. in quib. caus. col. cens. dom. acc. poss. C. L. probari. 3. C. de appar. Mag. mil. & priv. eor. l. 10. C. de remilitari. l. 22. C. de agr. & cens. & col.* Nempe prædiis imponebatur tributum, pro mancipiorum, sive colonorum censitorum aut adscriptitiorum capitibus, & indicebatur pro numero eorum, ita ut non singula capita, sed plura eorum caput unum, velut civile & tributarium, constituerent. Inde capitationis nomen, quam domini ipsi ab adscriptitiis colligebant, & fisco inferebant.

17. Porrò de horum conditione & statu vulgata est ad Institutiones Justinianéas quæstio, cum homines sine medio in liberos & servos dividantur, ad utram adscriptitios speciem referre oporteat, an verò neutri ex asse accedant, sed mediam naturam contineant? Nos iis accedimus, qui ad servos referunt. Nam quia, ut diximus hi statu suo, antequam adscriberentur censui, & agro addicebantur, revera erant servi, nec postquam ruri & fundo dedicati ad libertatem per hoc adspirabant, quod nusquam in jure proditum est, servi utiq; manebant, etsi quibdam in causis liberorum jure uterentur. Nam & statu liber etsi reverà servus, tamen certâ ratione liberorum jure censebatur.

18. Et hæc tamen umbra libertatis non constituebat diversam speciem servorum, vel quod perinde est non faciebat, nequam dari negat Justinianus §. *ult. Just. de jur. pers.* daretur differentia in conditione servorum, quæ in liberis tamen datur, specifica. Adeoq; discedimus à piæ memoriæ Collegæ & socero



socero nostro, in Academiâ Salanâ, Domino Ungepauero, Jcto Salano, non minùs annis atq; auctoritate gravissimo, qui in *Exercit. 2. q. 11.* ad componendas in speciem contrariantes leges distingvit servitutem in specie acceptam, ab eâdem acceptâ in genere.

19. Fallitur & Theophilus, sed aliâ atq; diversâ parte, qui negat in servitute dari τὸ μᾶλλον καὶ τὸ ἥττον, quem & Cujacius ὁ πᾶν sequitur. Utiq; videmus in servitute magis & minus datum fuisse. Neq; sic tamen differentia specifica in servitute fiebat. Nam magis & minùs, quod apud Philosophos expeditû, non variat speciem.

20. Et sanè non finit nos dubitare *l. ne diutius 21. C. de agr. & cens.* ubi dum Justinianus quærit, quæ differentia inter servos & adscriptitios intelligatur, eo vult nullam intelligi, adjectâ ratione, quia uterq; sit in domini potestate, & possit servum cum peculio manumittere, & adscriptitium cum terrâ dominio suo expellere. Sed & Arcadius & Honorius *l. 2. C. in quib. caus. col. cens. domin. acc. poss.* ajunt, penè esse, ut quadam dediti servitudine videantur. Vel, ut alii legunt, ut quadam servitute videantur adstricti. Nam & vendi â domino, sed cum terrâ poterant, *l. 7. C. de agr. & cens. l. 112. de leg. 1.* Et iccirco inter immobilia referebantur. *l. 2. ff. de div. temp. præser. l. hâc edict. ali. 6. §. 1. C. de sec. nupt. l. jubemus. 14. C. de SS. Eccles.*

21. Præter hos autem quidam quoq; erant liberi, sed quòd triginta annorum spatio infundo aliquo mercenariam operâ fundi domino locaverant, liberi quidem manebant, â terrâ tamen recedere nec ipsi, neq; nati sui poterant, *l. cum satis. 22. C. de agr. cens. & col.* Sed certum canonemolvere tenebantur. *l. 18. C. de agr. & cens.* Hi conditionem colonariam contraxisse dicebantur. *l. cum satis. 23. C. de agr. & cens.*

22, Quos rectè proinde comparat Heraldus *rer. quot. c. 8. §. 18.*



§. 18. Hilotis Lacedæmoniorum. Erant enim ἑλωθες medi  
inter liberos & servos terris colendis addicti, & per familias  
distributi, certâ pensione dominis obnoxii. *Plutarch. Lycurg.*  
*Julius Pollux Onom. lib. 3. c. 8.* Sic apud Cretenses ἀφαιμιῶται Vide  
*Hesych. ἀφαιμιῶται. & οἰοίκοι.* Clarotæ idem & Chrysoneti apud  
Heracleotas. Mariandyni, gens ad Bosphorum Thracium *Ath.*  
*6. qui & δωροφόροι,* apud Thessalos *πενέσται.* Vide *Athen. lib. 6. p. m.*  
*263. Polluc. d. l. Casaub. in Ath. lib. 6. c. 8. Aristot. 2. Pol. 5. & 9.*  
*Pausan in Lacon. Diod. Sicul. lib. 11. Strab. 6. & 8. Suid. πενέσται.*

23. Ulterius certis provinciis pro meritis suis interdum  
dabatur, ut capitatione eis remissâ, jugatio imperaretur. Quod  
Theodosius & Arcadius Thraciarum dioecesi indulserunt de  
quo *L. singul. C. de col. Thracens.* Ubi constituitur, in gratiam  
dominorum possessorum, ut mancipia quidem & coloni loco  
capitationis jugationem sustinerent, quæ adeo non pro nume-  
ro capitum, sed jugorum penderetur, non tamen ut vult Cuja-  
cius, liberi proinde essent. Certè conditione videbantur inge-  
nui, ut ajunt Impp. servi tamen terræ ipsius, cui nati erant, exi-  
stimabantur. Macula itaq; servitutis, quæ ex tributariâ sorte  
inhærebat, ita quidem eluebatur, ut hætenus ferè ingenui vi-  
deri possent: Servitutum tamen non tollebat, nec recedendi,  
quo vellent aut permutandi loca habebant facultatem: Sed  
possessor eorum jure utebatur, & patroni sollicitudine & do-  
mini potestate. Et ita quidem se habebant servi Romanorum,  
certo fundo addicti, colendi gratiâ, propterea coloni appellati.

24. At ap. priscos quondam Germanos omnis servitutis  
ratio similis hisce colonis erat. Audiamus Tacitum, de *Mor.*  
*Germ. c. 24. servis, inquit, non in nostrum morem descriptis per*  
*familiam ministeriis utuntur: suam quisq; sedem, suos penates*  
*regit. Frumenti modum dominus, aut pecoris, aut vestis, ut colono*  
*injungit, & servus hac tenus paret.*

25. Quod



25. Quod de Germanis in universum id de Saxonibus nostris sp̄ciatim Nithardus hist. Francor. lib. 4. Gens Saxonum omnis in tribus ordinibus divisa consistit. Sunt enim inter illos Edelingi, sunt qui Frilingi, sunt qui lassī illorum lingvā dicuntur: Latinā verò lingvā Nobiles, ingenui, & serviles. Hi Lassī servi erant, à *lassen/laten/* quod est relinquere. Kilianus in voce Belgicā, *Laet/* hoc nomen ita explicat: *Latus, inquit colonus & Latinus libertus apud Jctos à Laten/ dicuntur, quod à veteribus Saxonibus regione recens potitus iisdem locis sint relictī, ut terram, tanquam tributarii & conductitii colerent, aut quod manu missi & libertate donati sint.* Hæc Kilianus.

26. Sanè Glossa speculi Saxonici in prius etymon consentit *Landr.* lib. 2. art. 59. in gl. col. 2. Sed & gl. *Weichbild* art. 50. *lassen seynd diese/ die von denen kommen/ die unsere Eltern vor alter Zeit liessen sitzen/do Sie die Düringischen Herren schlügen und vertrieben/* ut *Landr* lib. 3. art. 42. Sed posterius verius est, quod agnoscit & ipsa glossa *Weichbild* d. lo. *Ihr solt wissen/ diese Lassen waren eigen/ und da die Lande besetzt wurden/ da war den eigen gegeben, vielerley gnad.* Idem erant qui & *Lidi, Liti,* de quibus *Lindebrogius* glossario LL. antiq. *Pontan.* de orig. Franc. lib. 6. c. 15. dicti à *Lyden/leiden/* tolerare. *Wendelinus* Glossario Salico, in *Lidus,* Quod à victoribus tolerati, ut *Gabaonitæ* inter *Israëlitas.*

27. His adsimilant, qui Gallis *Manus mortuæ* dicuntur, exinde, quod manum quidem habeant, id est, potestatem & administrationem, sed mortuam & inefficacem, ut vult *Heraldus rer. quot. c. 10. §. 13. & lib. 2. rer. jud. c. 17. n. 10.* Quod non placet. Quæ enim efficacior & magis viva censerī manus debeat, atq; quæ in ipso opere & administratione operosa est? Quapropter rectius ita dicti videntur à veteri quodam jure dominorum in servos quo optimum pignus ex ipsorum morientium domibus exigebant,



bant, & si nihil tale requirent, manus defuncti abscissa offerre-  
batur, quam legem Albero Episcopus Leodiensis sustulit, ut  
est in chronico Belgico & in appendice ad Marianum c. 28.  
quod erat servitutis præteritæ argumentum. Vide *Cir. Obs. lib.*  
2. c. 10.

CAPUT III.

DE BERYTO METROPOLI.

*Conspectus.*

1. Imperii Romani divisio. Diœcesis. Quis auctor.
2. Orientalis pars per Præf. Præt. Ori. gubernata. Ejus quot diœceses. Occidentis diœceses: Metropolis Italiæ, quæ Metropoles Germaniæ.
3. Singular. diœces. metrop. Antiochia Orientis &c.
4. Antiochenses invisi Hadriano.
5. Tyrus Phœnicæ Metropolis. Pauli Tyrii Rhetoris operâ.
- 6, 7. Tyrus colonia Jur. Italici, Ulpiani patria.
- 8, 9. Altera Phœnicæ metropolis, Beryt<sup>o</sup> à Theodosio & Valentiniano. Phœnicæ duæ, quando factæ.
- 10, 11. Lis inter Ecclesiam Berytensem & Tyrensem. Quomodo decisa.
12. Thessalonicensi ademtæ Ecclesiæ, datæ Justinianæ primæ.
13. Phœnicæ Libani metropolis Berytus. Alterius Tyrus.
- 14, 15. De Libano monte. Aphaca. Simulacrum Veneris. Macro-  
bius emendatus.
16. Heliopolis.
17. Jura Metropolitum. Metrocomiæ.
18. Jus Sax. de Metropol.
19. Metropoles Ecclesiæ.

D

I. Notum





**N**otum est, Imperium Romanum in duas velut plagas, Orientem & Occidentem fuisse divisum. Utrumq; in spacia alia maxima, quas diœceses, sed & tractus dixerunt, ut in *L. ult. C. de temp. & repar. appell. L. 11. C. de fund. patrim.* aliquando etiam regiones. Quod inventum à Constantino M. fuerat. *Δίωκισιν* finit Balsamo, *πλάσ ἐπαρχίας, ἔχουσαι ἐν ἑαυτῇ*, multas sub se provincias complectentem. Et Orientalis quidem per Præfectum prætorio Orientis regebatur, & in quinque diœceses, Orientem, Ægyptum, Asianam, Ponticam & Thraciam dividebatur. *L. 2. C. de milit. veste. L. 2. C. Ut nemo ad suum patrocini.* *Noticia Imperii Orient. Bertherius pithanon, p. 12.* Sic & Occidens sex habebat diœceses, Italiam, Illyricum, Africam, quas Præfectus prætorio Italiæ, Gallias, Hispanias & Britannias, quas Præfectus prætorio Galliarum administrabat. Italiæ Metropolis, Mediolanum erat. Vide dissertationem nostram de Præfecturâ Urbicariâ, *ad §. 1. n. 7.* Gallicarum Augusta Trevirorum ut vult *Berther. p. 27.* Porro & singularum provinciarum in qualibet diœcesi sua erat Metropolis, quas notatas vide in libello provinciarum Imperii Romani ab Andrea Schotto edito. Sic in Germaniâ primâ, provinciâ diœceseos Galliarum, Metropolis erat Civitas Magunciacensis. In Germaniâ secundâ Coloniâ Agrippinensium. Diviserat enim Augustus terras ad Rhenum in tres provincias, quarum prima Maxima sequanorum audiebat: Altera Germania prima, *Deutschland*/ Tertia Germania secunda. *Vide Ann. Marcellinum lib. 15. Dion. lib. 53 Ptolmo. lib. 2.* Sed revertamur ad Orientem, qui quindecim provinciis constabat, in quibus & Syria Phœnice,



3. Singulis his quoq; diœcesibus sua erat Metropolis, urbs princeps & reliquarum caput, qualis ab initio in Oriente erat Antiochia, ut ex Hieronymo ad Pammachium constat. Verba Hieronymi ita habent: *Palestina metropolis Casarea; Totius Oriendis Antiochia.* Chrysoftomus *homil. 3. ad popul. Antioch:* Civitatum, inquit, sub Oriente positarum caput & mater est civitas nostra. Et Epiphanius ad Hormisdam, Antiochiam civitatem maximam, quæ in orientali diœcesi prima sit, usurpat. Egypti metropolis erat Alexandria, Ephesus Asianæ, Ponticæ autem Cæsaream fuisse *Bertherius pithan. p. 14.* putat: Macedonia Thessalonica. Daciæ nullam fuisse ait *Bertherius p. 16.* cui serò tandem Justinianus patriam suam, quam Justinianam primam appellavit, Metropolin esse voluit, additâ etiam secundâ Pannoniæ parte. Memoratur & Germana Metropolis inter Thraciam & Illyricum sita, in Orientalium Pontificum sanctionibus, quam dubitat Ortelius utrum Germanopolis Ptolemæi sit, quæ Germana, an Germania, Belisarii patria fuit. Ut forsitan errent Giphanius Jctus & Welserus in antiquitatibus Augustanis, qui Germaniam Europæ partem intelligunt, & Belisarium. Quodum faciunt. Vide Procopium I. Vandal.

4. Cæterum cum Antiochenses valdè invisi essent Hadriano Imperatori, contigit, ut Syriam isâ Phœnice separaret, ne tot civitatum metropolis Antiochia posthac diceretur, ut habet Spartianus.

5. Et ab hoc tempore Phœniciæ metropolis Tyrus effecta est. Quod Pauli Tyrii Rhetoris precibus, cum ad Hadrianum in causâ patriæ legatus esset, obtinuisse Tyrum Suidas mihi auctor est.

6. Quam Tyrum splendidissimam juris Italici coloniam salutat Ulpianus. *l. 1. pr. ff. de cens.* & inde originem sibi fuisse tradit.

D2

7, Actione



7. Actione IX. concilii Chalcedonensis vocatur Metro-  
polis consularis. Et rectè: Phœnice enim ut docet Noticia  
Imperii Orientalis erat provincia consularis, cujus metropolis  
Tyrus.

8. Et hætenus unica Phœnicæ metropolis. Sed postea à  
Theodosio & Valentiniano data & altera est, nempe Berytus  
nostra, ita ut una provincia duas matres acciperet, ut testatur  
*l. sing. C. de Metrop. Ber.*

9. Neq; tamen crediderim, illico hoc tempore, cum Be-  
rytus metropolis efficeretur ab Impp. Theodosio & Valentin.  
duas ex unâ Phœnicas factas. Hujusq; meæ opinionis fundum  
habeo, quod Impp. *d. l. sing.* dicunt, se Beryto Metropolitanam  
dignitatem conferre, ut Tyro nihil de jure suo derogetur. Sed  
hæc mater sit, majorum; Berytus autem ipsorum beneficio, &  
utraq; simili dignitate perfruatur. Athæcita sollicitè non o-  
pus fuisset caveri ab Impp. si duæ Phœnicæ facta fuissent, singu-  
lis suâ metropoli datâ. Satis enim fuisset certum Beryto in  
parte provinciæ duntaxat jus metropolitum accipiente, in  
reliquâ parte Tyrum matrem mansuram fore. Confirmat  
me amplius exemplum Ponticæ, cui uni indivisæq; binæ matres  
datæ, Amasia & Neo-Cæsareâ, ut testatur Justinianus noster  
*Nov. 28. C. 2.* Et Cappadociæ, quæ simul & Cæsaream & Tya-  
nam matres venerata fuit. Quare eò labor, ut concludam,  
serò & paulò ante finem principatus Theodosii Junioris factū  
fuisse, ut Phœnicæ duæ fierent, quarum recentior cum adje-  
ctione dicta fuit Phœnice ad Libanum, uti ita salutatur à Justi-  
niano nostro, *edicto IV.*

10. Causa mihi non una est. Primum enim reperio in  
Noticia Orientis manifestò nominari Phœnicas duas, quam  
Noticiam circa finem Imperii Theodosiani consinnatam esse  
eruditis constat. Deinde vel maximè conjecturam nostram  
firmat



firmat contentio, quæ fuit Ecclesiam Berytensem inter & Tyrensem.

11. Orta fuit illa occasione divisæ Phœnicæ. Quâ divisione ab Imperatore factâ Ecclesiæ Tyriæ à Berytensi aliquot suffraganei auferebantur. Et excusabat hoc factum suum Eustochius Berytensis Episcopus Episcopo Tyrensi Photio, quod jura Ecclesiæ Tyriæ minimè invasisset suo ausu, sed lege Imperatoris, penes quem esset metropoles facere. Consuetudinem enim semper fuisse, ut quæ civitas ab Imperatore in temporalibus facta esset metropolis, ipsius etiam Ecclesia in regimine Ecclesiastico jus metropoliticum consequeretur. *Vide Balsam. ad syn. Chalced. can. 29. p. 352.* Quæ controversia concilio Chalcedonensi sessione V. fuit decisa. At hoc concilium Marciani Imperatoris, qui proximè Theodosium secutus, anno I. fuit celebratum, ut paulò antea proinde divisam fuisse Phœnicem oportuerit. Summa decisionis hæc fuit, ut jus antiquum Tyrio Metropolitæ conservaretur, ne hierarchia confunderetur. *Vide jus Græco-Rom. tom. 1. p. 277.* Quod si verò posthac Imperatores suâ divisione suam cuiq; Metropolitano provinciam propriam assignaturi sint, merito Episcopos acquieturos esse.

12. Quod & postea servatum. Nam Justinianus nemine contradicente Thessalonicensi metropoli Ecclesias quas dam ademit, & primæ Justinianæ subjecit, *Nov. XI.*

13. Duæ ergo demum factæ fuerunt Phœnicæ, quarum altera, Libano monti vicina, Phœnicæ Libani seu Libanica metropol. Berytum acciperet, altera Tyrum pristinam retineret.

Quò pertinet illud Nonni lib. 41. Dionys. ἢν μετάνασαι Ἰτες Αυσονίαν ὑπὸ αὐτῆια φέρσεται ῥώμης Βηρυτὸν καλέσιν, ἐπεὶ Λιβάνω πῆσε γείτων.

14. Celebris & non ignotus vel ex sacris mons Libanus esse potest, cui nomen ab albore, quippe in cujus vertice nives





tam perpetuæ, quàm in jugis Alpium sunt, teste Hieronymo in Jeremiam *lib. IV.* Imò si credimus Joh. Phocæ ἐκφράσις, κερυφόθεν μεχρὶ ποσῶν συρμάδας χιόνος ὡς βαρύχης περιβαλλόμενος, à vertice ad pedes tanquam nivis firmate seu tractu circumdatus est. Faciunt hunc montem & Aphaca celebrem, qui est loc⁹ ad Libanum, templo Veneris clarus, quod templum Constantius evertit, ut tradit Eusebius, *vitâ Constantini lib. 3.* Meminerunt ejus Socrates *lib. 1. c. 18.* Sozomenus *lib. 2. c. 5.* Tripartita *lib. 2. c. 20.* simulacrum ibi Veneris fingebatur capite obnupto, specie tristi, faciem manu levâ intra amictum sustinens, & lacrymæ visione conspicientium manare videbantur, ut refert Macrobius, *Saturn. lib. 1. c. 27.* Apud quem adeo non Architis- sed Aphacitis Venus legendum rectè monuit Seldenus de DIs Syris.

15. Ita enim Zosimus *lib. 1. hist.* Ἀφακα χῶριον ἐστὶ μέσσην Ἡλιοπόλεος τε καὶ Βίβλας, καθ' ἃ γὰρ Ἀφροδίτης Ἀφακίτιδος ἰδρυται. Narrant Zosimus & Sozomenus juxta fanum idoli ignem instar lampadis aut globi conspici, quoties statutis temporibus ibi conventus habeantur: Itemq; circa fanum lacum reperiri, in quem in honorem Veneris injecta aurea argenteaq; donaria, siquidem accepta essent, natate gravia, levia autem demergi.

16. Prope Libanum Heliopolis est, mulieribus insigniter speciosis nobilitata, quam incomparabilem formæ gratiam cultui Veneris acceptum referri debere censet Geographus Anonymus, cujus ab initio meminimus.

17. Restatut videamus, de Metropoleon jure. Urbes distinguebantur Romanis in maximas, majores, & minores. *L. 6. §. 2. ff. de Excus. tut.* quorum quæ maximæ, metropoles erant. Dicebantur & provinciarum capita *l. 7. ff. de O. Proconf. & L. Ammiano*, matres urbium, Sallustio, origines nuncupantur.

Que-



Quemadmodum Metrocomiæ, quasi vicorum matres, villæ  
scilicet majores, quæ plura castra, burgos, vicos complectun-  
tur. *L. fin. C. T. de patroc. vico.* Ut Cujacius sentit. At verò Jaco-  
bus Godofredus Metrocomias interpretatur, vicos principes  
seu publicos, qui non uni domino, sed imperio immediatè sub-  
erant per *L. ult. C. Th. de patroc. vicar.* In quibus vicis vicani  
seu rustici propria possidebant. *L. s. C. Th. de patroc. vic.* Vide  
Godofr. notis *in Liban. περὶ τῶν παροισίων. p. 6.* In illis vacationem  
munerum habebant decem Medici, Rhetores quinq;, & totidē  
Grammatici. *d. §. 2.* Vide egregie hæc exponentem Cujac. *ad tit.*  
*de Excus. tut.* Deinde hanc quoq; habebant prærogativam, ut  
Rectores provinciarum Româ missi eos attingere cogentur.  
Sic enim Imperator Antoninus Augustus ad desideria Asiano-  
rum rescriptit, Proconsuli necessitatem impositam per mare  
Asiam applicare καὶ τῶν μετροπόλεων ἐφεσον primam attingere.  
*L. 4. §. 4. ff. de Off. Proconf.* Sedes ibi habebant provinciæ Præ-  
sides Vicarii, Rectores. Tacitus *lib. 4. hist.* refert tempore Vi-  
telli & Vespasiani Julium tutorem ripæ Rheni præfectum fu-  
isse. Sub Domitiano Lucius Antonius Præses superioris Ger-  
maniæ à Svetonio salutatur, *Domit.* sub Valeriano & Gallieno  
Posthumus transrhenani limitis Præses fuit. Trebel. Pol. In  
Noticiâ Imperii habetur, hunc Præsidentem Maguntiaci sedisse.

18. Jure Saxonico, *Weichbild* art. 11. secundum glossam  
soll in allen Landen die elteste Stadt des Reichs ein Haupt seyn  
des Rechts.

19. Deniq; vetus Ecclesia, ut ordinis studiosissima ita πο-  
λιτείαν suam ad civilem Reip. Romanæ formam constituit. Ita  
enim definitum concilii Chalcedonensis *canone 17. τοῖς πολι-  
τικοῖς καὶ δημοσίοις τύποις, καὶ τῶν ἐκκλησιαστικῶν ἡ τάξις ἀκροβθεῖτο.*  
Quare ut in Imperio R. varii magistratum gradus exstiteret:  
Ita & in Ecclesia Episcoporum varii gradus, Præter enim singu-  
larum



larum civitatum Episcopos, Episcopis quibusdam singulæ provincie, aliis plures cesserunt, quæ plurium provinciarum administratio Diocesis, & Episcopi ipsi dioceseon Exarchi & Patriarchæ & Primates dicebantur. Vide Godofr. *de suburb reg. Lehman. chron. spri. lib. 1. p. 91. Laz. de Rep. R. lib. 2. c. 2. Scal. 2. Epist. 184. Salmas. de primatu Pap. pag. 162. M. Ant. de Dom.*

CAPUT IV.

De Beryto Academia.

Conspectus.

1. Academia dignitas poscit, ut in loco amœno ponatur.
2. Pontifices Academiis celebrandis privilegia non dederunt antequam Episcopi vicini testati fuerint, de loci commoditate.
3. Mores civium considerandi, ubi Academia erigi debet.
4. Stenonis Bielkenii sententia, de moribus oppidanorum. Academiam receptorum, insignis & graphica.
5. Phœnicia inventrix literarum, Eupolemus, quid scripserit. Zeno, Poëta
6. Sanchoniathon, quando vixerit. Philo Byblius.
7. Valerius Probus, Egnatius Celer, Berytii, Item Lupercus, Mnasea.
8. Salvator noster an Beryti docuerit.
9. Miraculum, quod circa iconem Salvatoris Beryti contigisse fertur.
10. Inquiritur in sermonem quemdam, qui Athanasium auctorem præfert.
11. Conjectura, quo tempore studium juris Beryto illatum. Laus Giphanii.
12. Rejjicitur Giphanii sententia, docendæ Beryti Juris prudentiæ auctorem Severum facientis.



13. Alciati, Corrafi, Cagnoli, Brodæi error circa Julianos,  
Jctos,
15. Hermippus Berytius. Alius, Smyrnæus. Berytius quid scri-  
pserit, Taurus, Berytensis. Strato Beryti, unus de octo  
Stratonibus, quos Laertius numerat, Sed quintum om-  
mittit, restitutum à Dn. Reinesio. Dionysi<sup>9</sup> Berytensis.
16. Seculo 3, floruit juris studium Beryti. L. I. C. qui ætat. aut.  
prof, se excus. Scholares Arabiæ, intelliguntur Arabes.  
Emendatio inscriptionis d. l. I, tentata à quodam Viro  
Clariss, non recipitur.
17. Seculo quarto quomodo jus floruerit Beryti: Vixit Geo-  
graphus tum, à Godofredo novâ versione ornatus.
18. Auditoria juridica Beryti.
19. Magistratus Romani plerumq; juris ignari.
20. Assessores jus suggerebant,
21. Alipius, Augustini æqualis, assessor. Assessorum alia voca-  
bula.
22. Libanius invidet Juris Doctoribus Beryt. frequentiam  
auditorum
23. Hoc seculo terræ motu Berytus concussa & penè eversa.
24. Seculo V, & sexto Berytus viget.
25. Professores Juristum temporis Beryti, Dorotheus, Ana-  
tolius,
26. Illustrium titulo an Professores Juris tum honorati.
27. Jus etiam alibi docebatur,



**S**ed satis de loco, quem sedem

sibi juris R. schola delegit, si quisquam per Orbē  
amœnissimo elegantissimoq;. Ut credam ipsam  
Themidem, cum musæum Romani juris studio

**E**

circum-



circumspiceret, Berytum Pallade cum Musis ac Gratiis, omnibusq; adeo Veneribus consvaventibus sibi elegisse. Nempe tales sibi sedes postulat Musarum dignitas.

2. Liquet ex veterum monumentis, non ante olim Germania Principes facultatem condendæ Academiæ à Pontifice impetrasse, quàm Episcopi vicini, ab iisdem missi inquisiverint in naturam loci, & aëris temperiem, & mores incolarum & dotis congruæ constitutionem, & alios redditus, ex quibus salaria Professoribus præstari queant, ait Joachimus Stephani apud Cothmannum *Resp. 24. n. 34.* Certè Aneam Sylvium, quo tempore Basileæ concilii causâ esset, amœnitate & salubritate loci delectatum, cum postea Pontifex, & quidem Piorum non nisi alter factus esset, Academiam ibi condidisse refert Josias Simlerus *de Repub. Helvetiorum lib. 2.*

3. Sed & mores oppidanorum, ubi Academia fixura lares est, non alienos esse oportet à scholarium ingenio & morib<sup>9</sup>, inquit Petrus de Vineis *lib. 3. Epist. XI.* Quis enim ibi literis & earum cultoribus credat jocundum, aut diuturnum fore domicilium, ait illustris Steno Bielke, dissertatione de Academiis, moderante Lansio habitâ, ubi Professores & studiosos passim inhumaniter licet excipere, vulnerare, occidere, sæpe etiam vilissimis hominibus impunè licet? quod de Pictaviensi & alis Universitatibus testatur Petrus Rebuffus; & dicit amplius, hodie multas civitates insurgere contra Universitates, quas apud se habent; non agnoscentes, quid honoris bonivè occasione illarum accedat; ideoque tales civitates ob ingratitude criminè Universitatibus privandas esse censet: *in Interpret. d. Auth. Habita.* Regnante in Anglia Joanne rege tria millia Studiosorum fuerunt Oxoniæ: qui tamen omnes ad unum hinc partim Readingum, partim Cantabrigiam demigrârunt; quòd in Studiofam hanc hominum nationem cives Oxonienses iniquiores viderentur.



derentur. *Guil. Camden. in descript. Britan. ult. edit. p. 269.* Sic & in Galliis sub imperio Ludovici IX. cum cives Parisienses Studioforum nonnullos indignis modis pulsarent & occiderent, conquerente ordine Scholastico de istis acceptis injuriis sibi non satisfieri, tanta florentissimæ & frequentissimæ Universitatis mox consecuta est dissipatio, ut solitudo exiliumque literis indictum Lutetiæ videretur. Anglus Rex itaque propositâ ingentium præmiorum, honorum, vacationum, emolumentorumque spe aliquot millia Scholarium Parisiensium Oxonium elicit. At Rex Ludovicus, qui non minùs literis quàm armis regni Gallici gloriam & tranquillitatem contineri sciebat, regniæ urbis cives ad officium colendosque Doctores & Discipulos revocavit, atque ita ingenuis artibus suum splendorem decusque restituit. *Paul. Æmylius de reb. gest. Francor. lib. 7. in vit. D. Ludovici. Joan. Tillius in Chron. de Regib. Francor. An. Christi 1232. Rob. Gaguinus Hist. Franc. in D. Ludov.* Et habent sanè civitates urbesque, in quibus Academiae habitant, causas gravissimas, cur istas obviâ humanitate & omnibus officiis sibi concilient, adeoque Studiosæ juventutis subinde æstuantis facta benignissimè interpretentur. Ab Academica enim cōversatione & convivio emolumenta fluunt penè innumera. Hinc Religionis purior cultus, Justitiæ accuratior administratio, cura valetudinis exquisitior, cura valetudinis exquisitior, præparatio animorum ad sapientiam melior, civilitas morum, ingentes opes (nam si septingenti saltem aut octingenti Studiosi Academiae cujusdam, quæcunq; tandem illa fuerit, sint alumni, non dubitè affirmare, centū aureorū millia quotannis eò deportari. *VVolf. Heider Orat. 1. de vulpecul. Scholast.*) mercatura opimior, splendida ædificia, matrimonia & affinitates honorificæ, & nominis pervulgata celebritas. *Cothman. Acad. Resp. 1. num. 349. & seq. Mart. Chem-*  
E 2 nitius



nitius apud Cothmam. Acad. Resp. 23. n. 20. 21. 22. 23. Et quot,  
quæso, in Germania, Gallia, Italia, & Polonia, sunt oppida, quæ  
ante Gymnasia literarum ibi constructa tam obscura fuerunt,  
ut Geographi ea in tabulis suis vel exiguo aliquo punctulo no-  
luerint dignari; quæ tamen postea ad tantam magnitudinem  
ex solo Studiosorum concursu Academiæ claritate excreverunt,  
ut nunc cum præcipuis urbibus certent. Hipp. à Collib. de increm.  
urb. cap. 11. Petr. Gregor. de Repub. lib. 18. cap. 6. num. 6. Quæ bo-  
na ex commercio Academico in civitates & urbes redundan-  
tia qui civis non pensitaverit & æstimaverit, ingrattissimus, aut  
asinus & stipes sit necesse est. Sed in Phœnicen redeo, Acade-  
miam nunc demum post urbem contemplaturus.

5. Et initio scriptorum veterum unanimi consensu re-  
perio Phœniciam à reliquis gentibus magnâ inventarum lite-  
rarum gloriâ celebrari. Eupolemus, qui teste Clemente A-  
lexandrino *ὡς ἰὼν ἐν τῇ Ἰσθαίᾳ βασιλέων* librum scripsit, ait: *τὸν*  
*Μωϋσῆ πρῶτον σοφὸν γενέσθαι, καὶ γραμματικὴν πρῶτον τοῖς Ἰσθαίοις παρα-*  
*δόναι, καὶ παρὰ Ἰσθαίων φοινίκας παραλαβεῖν, Ἕλληνας δὲ παρὰ φοινίκων.*  
Zeno, Poeta, in quodam anthologiæ carmine seu epigram-  
mate:

*Εἰ δὲ πάτρα φοίνισσα, τίς ὁ φθόνος, ἧς κ' ἀπὸ Κασμὸς,*  
*Ἄφ' ἑ τὴν γραπτὴν ἔλλας ἔχῃ σελίδα.*

Et Lucanus:

Phœnices primi, famæ si credimus, ausi

Mansuram rudibus vocem signare figuris.

Plutarchus *lib. de aq. & igne*, oceanum ait literas contra obli-  
vionem attulisse. Tac. *lib. 11*. Famam, ait, Cadmum classe Phœ-  
nicum vectum, rudibus adhuc Græcorum populis artis ejus  
auctorem fuisse. Curtius *lib. 4*. hanc gentem literas primum  
aut docuisse, aut didicisse. Pomponius Mela *lib. 1. c. 12*. Phœ-  
nices appellat solers hominum genus, ad belli pacisq; munera

eximium



eximium, literas & literarum operas, alias etiam artes, maria  
navibus adire, classe configere, imperitare gentibus, regnum  
præliumq; commentas esse. Ut jam quæ Diodorus Siculus lib.  
3. Plutarchus *sympos. lib. 9. q. 2. & 3.* Victorinus *lib. 1. de ortho-*  
*graphiâ*, Isidorus *orig. 1. c. 3.* Suidas in *ῥάμμα & Κάδμῳ & Φαι-*  
*νικία ῥάμματα* in hanc rem habent, consultò præteream.

6. Sanè jam belli Trojani tempore vixit Sanchoniathon,  
civis Berytius, qui Phœnicum historiam linguâ patriâ, itemq;  
Theologiam Phœnicum scripsit, quos libros Philo Byblius in  
Græcam linguam transtulit, teste Porphyrio *lib. 2. περὶ ἀποχῆς.*  
Theodoretus *therapeut. serm. 2.* ait Sanchoniathonem istum  
magnâ admiratione à Porphyrio coli. Idem *libro 3.* ex Sanchoniathonem refert, ut Saturnus & Rhea homines fuerint, Jovis &  
Junonis Parentes, atq; ob beneficia à Phœnicibus post obitum  
aris & sacrificiis annuoq; epulo fuerint honorati. Seculo christiano primo inter illustres Berytios numerandus venit M. Valerius probus Grammaticus. Hieron. in chron. sub anno 2. Neronis. Sveton. de illustribus Grammat. ad quem vide Vinetum. Item P. Egnatius Celer Philosophus Stoicus, amicus & magister Baræ Sorani, delator ad Neronē. Vide Xiphil. & Tac. 4. histor.

7. Porrò sub Antigono Syriæ præfectus fuit Hieronymus Ægypti, quem loco non uno citat Josephus. Meminit & Lucianus, libro de longævis. Is libros de rebus Phœnicum scripsit; floruitq; circa olympiadem CXX. Tempore Claudii Cæsaris fuit Lupercus, Grammaticus Berytius, Suidâ teste, quem multa composuisse refert, interq; ea *κτίων ἔνυ Ἀιγύπτῳ Ἀριστοῦτος.* Meminit & Mnaseæ Berytii Suidas, quem de arte dicendi & verbis atticis scripsisse ait, sed quo tempore incertum. Josephus Scalliger in conjectaneis ait hunc Phœnicum res complexum fuisse, atq; ipsum etiam nomen Mnaseæ, hoc est, Manassis Phœnicum esse. Confer, Dn. Reinesium lib. 3. var. 3. pag. 384. Fuere





& alii hujus nominis, inter quos præ reliquis celebratur Mnafeas Patarensis. Alius Colophonius aut Locrus, qui pægnia edidit, ex Athenæo lib. 7. notus est. Adi etiam Vossium *lib. 1. de Hist. Græc. p. m. 134.* Quis ergo dubitet, literarum artiumq; gloria, quin Beryto ingenita, & velut domestica, atq; cognata fuerit.

8. Quod si idoneo aliquo auctore probari possit, quod Breitenbachius aliiq; narrant, Dominum nostrum Salvatorem Beryti docuisse, jam nihil esset, quod ad cumulum gloriæ Academiæ hujus accedere magnificentius atq; illustrius posset. Nec fidem tamen ei temerè de rogem cum proditum sacris monumentis sit, in finibus Tyri & Sidonis Salvatorem egisse & docuisse. Johannes Phocas, qui ad loca sancta visit Anno Christi 1185 testatur extra urbem Sidonem, ad trium sagittarum jactum in templi cujusdam mutilo quadratum inherere lapidem, in quo, plurimorum famâ Salvator stans turbam docuerit. Idem circa Tyrum monstrari saxum præmagnum, in quo Dominus quiescens Petrum & Johannem Apostolos in civitatem miserit ad emendos panes. Quibus redeuntibus & cum Salvatore ad vicinum fontem, mille non amplius passibus distantem profectis, Dominum fonti benedixisse. Vide quæ ibi de fontis amœnitate & structurâ mirabili refert plura.

9. Hoc, antequam ad juris studium transeam, omninò memorandum mihi est, quàm stupendum Beryti accidisse miraculum, circa imaginem Salvatoris feratur. Cum enim Judæi ligneam illam Dn. nostri, casu ibi repertam iconem, quam Nicodemus olim suis sculpserat manibus, illuderent, & post sputa, colaphos, flagra, omne deniq; ignominiarum genus, quod Salvatori ipsi vivo patres eorum intulerant, ferreis clavis imaginis manus pedesq;, ac latus lanceâ foderent, continuo copiosi sanguinis & aquæ ex eâ rivulos emanasse, cujus uncti-  
one



one cum variis paralytici, cæci, claudi, surdi, leprosi mox sanitati restituerentur, signis tam admirandis visis, omnes qui in civitate erant Judæos fidem Christi amplectentes ab ejusdem urbis Episcopo baptismi gratiam suscepisse. Referunt hanc rem præter Breitenbachium & Borcardum Monachum, aliosque etiam Eugesippus *de distantis locorum terra sancta*, quem Leo Allatius edendum dedit inter Συμμετα Bartoldo Nihusio, & Willebrandus Comes Oldenburgicus, Episcopus Paderbornensis & postea Ultrajectinus in *Itinerario terra sancta*, quo anno 1211, iter suscepit. Exstat etiam de hoc miraculo sermo sub nomine Athanasii, Episcopi Alexandrini, qui in septimo generali concilio, Niceno secundo, actione quartâ ad confirmandam & stabiliendam sacrarum imaginum venerationem coram trecentis quinquaginta Episcopis lectus esse fertur.

Borchardus, mon. Dominicanus, anno 1280. in Palæstina peregrinatus, in descript. Terræ s. c. 2. p. 9. Procedenti ultra Sidonem novem leucas offertur nobilis & antiqua civitas Berytus, in qua famosum est Salvatore nostrum declamasse & docuisse. Illic Judæi cæci ex invidia agitati imaginem Iesu benedicti in cruce pendentis ex farina & aqua confinxerunt, cui illudentes eam demum crucifixerunt, sanguinis ab ea copia magna effluxit: qui intempestate nostra pluribus in locis maxima devotione colitur. Sed credat, qui volet. Ego cras credo, hodie nihil.

10. Titulus enim huic libro olim præfigi solitus refert hanc historiam, ne fabulam dicam, ad tempora Constantini senioris & Jrenæ uxoris ejus. Et enim auctor narrat id accidisse diebus vitæ suæ. Quod si is Athanasius sit, resuscitatum & è sepulcro evocatum oportuit eum, cum per aliquot annorum centurias fuerit mortuus, priusquam Constantinus VII. nasceretur. Deinde Athanasius & Concilium II. Nicænum tam inter se tempore conjuncta sunt, quam Berytus & Brunsviga loco. Sed pergo.

II, Itaq;



11. Itaq; Phoenicia cum naturâ & industriâ studiis libera-  
libus dedita esset, facile animum induco, ut credam, ex quo Sy-  
ria in Romanorum potestatem concessit, Phoenicen in socie-  
tatem cæterarum disciplinarum, juris quoq; scientiam adsci-  
visse, eiq; domicilium ac lares proprios Beryti dicasse. Satis  
enim constat, scholam juris Berytensem omnium esse antiquis-  
simam. Giphanius Jctus, omni-literarum ac scientiarum ge-  
nere excultissimus, quem non immerito Germaniæ Cujacium  
indigitare possis, conjicit, ab Imperatore Severo ei jus publicè  
docendi privilegia primum fuisse concessa. Cujus conjectu-  
ræ idoneam adhuc requiro rationem. Nihil enim hætenus  
reperire potui apud hos, qui de vitâ Severi scribunt, quod face-  
re huc vero similiter possit.

12. Exstat epigramma Græcum statux cujusdam Juliani  
Jcti inscriptum, ut indicat Alciatus & se legisse ait *lib. 2. disp. c.*  
*27.* quod ita habet,

Τῆτον Ἰουλιανὸν, νομικῆς Φαός εἶπον ἰδῶσα  
Ἰωμὴ καὶ Βερέη, πάντα φύσις δύναται

Et vult Alciatus, id de Salvio Juliano, Jcto ex pandectis nostris  
celeberrimo, Edicti perpetui conditore, accipiendum esse. Id  
quod si certum esset, jam constaret Berytensem Academiam  
protinus seculo secundo juris disciplinâ floruisse. Sed errat  
doctissimus Consultus, & qui eum sequuntur Corrasius & Cag-  
nolus de orig. Jur. n. 606. & quod miror in primis eruditissim<sup>9</sup>  
anthologii scholiastes, Joh. Brodæus. Sic *varam nempe vibia.*  
Errant, *inquam.*

13. Nam auctor hujus epigrammatis, quod *lib. 4. anthol.*  
*t. i. exstat,* est Theætetus & Juliani honori id scripsit, qui tem-  
pore Justiniani nostri vixit. Is est antecessor Constantinopo-  
litanus, qui Novellas Justiniani vertit, non quidem integras &  
ad verbum, sed in epitomen contractas. Fuit is Græcè & Latine  
doctif



doctissimus, qui tandem & Consul & Patricius ob ingenii claritudinem factus.

14. Sed hoc indubium est, Hermippum Berytium hoc seculo floruisse, Philonis Biblii discipulum, nominis claritate insignem, quem multa scripsisse Suidas in Ἑρμιππῶ refert. Citat & Hermolaus Byzantius περὶ πόλεων in Ῥαβεννα. Inter alia ex Tertulliano *lib. de anim. c. 46.* constat, eum somniorum historiam libris quinque comprehendisse. Hermippi etiam opus περὶ νομοθετῶν, *de legislatoribus* citat Origenes contra Celsum lib. 1. Sed forsitan is alius est Hermippus Berytio vetustior, nempe Hermippus Smyrnæus Callimacheus, cuius multa circumferuntur historica. Meliori ratione adscribas Berytensi opus περὶ τῶν Διαπρεφάντων ἐν παιδείᾳ δέλων de servis eruditione claris è cuius secundo quædam citat Suidas, in τὸρ. Scripsit idem Berytius etiam περὶ τῆς ἐβδομάδος, seu de virtute numeri septenarii, allegatus à Clemente Alexandrino Strom. lib. 6. Patet autem inde, eum hoc tempore inclaruisse, quod Stephanus Byzantius æqualem Nicanori, Hermiæ filio, Grammatico Alexandrino faciat, & addit Nicanorem scripsisse ad Hadrianum, qui Hadrianus vix alius quàm Imperator esse potest. Eodem tempore floret & Taurus Berytius, Platonicus, quem refert ad annum Christi 145. Eusebius. Et is est, quem toties Gellius celebrat. Fuit & Strato quidam Berytius, Medicus, cuius medicamentum contra epiphoras laudat Galenus de compos. med. s. l. c. 7. n. 5. Et hunc esse quintum de octo Stratonibus, quos Diogenes Laërtius numerat, ap. quem tamen quintus desideratur, loco haud dubiè mutilo, Dn. Reinesius, qui & hunc Berytium mihi per epistolam demonstravit, eruditè conjicit. Verisimilior certè hæc aliorum conjecturâ, qui Stratonem quendam Amesenum sub Tiberio ex Suidâ substituunt, Geographum. Quo de vide Voss. de hist. Græc. p. m, 130, lib. 1. Ad hæc

F

hæc





hæc tempora referendus videtur Dionysius Berytensis quem marmor ex Oriente in hortos Arundel, advectum exhibet istud:

ΔΙΟΝΙΣΙΟΣ ΖΗΝΩΝΟΣ  
ΤΟΥ ΘΕΟΔΩΡΟΥ ΒΗΡΥΤΙΟΣ  
ΕΥΕΡΓΕΤΗΣ

ΘΕΟΙΣ ΠΑΤΡΙΟΙΣ. Pertinet, ut videtur ad tempora Antoniniana, factum honoribus Dionysij cuiusdam. *Ευεργετης* dignitatis nomen est, quâ in quibusq; collegiis adficiebantur potiores, uti *θεωρίης, θεωρίης, φερνίης*.

15. At verò seculo tertio jam insigniter studio juris floruisse Berytum colligo ex *l. 1. C. Qui at. vel prof. se excusant.* Ibi enim Imp. Diocletianus & Maximianus rescribunt in hæc verba:

Cum vos affirmetis liberalibus studiis operam dare, maximè circa juris professionem, consistentes in civitate Berytorum, provinciæ Phœnicia: Providendo utilitati publicæ, & spei vestræ, decernimus, ut singuli usq; ad vicesimum quintum annum ætatis suæ studiis non avocentur. Hæc Imp. rescribunt cuidam Severino, & aliis scholaribus Arabia. Causa supplicandi erant, quod à studio juris avocarentur in patriam, ut ibi muneribus personalibus defungerentur.

Appellantur scholares Arabia, id est, ex Arabiâ oriundi. Et frustra est vir quidam clarissimus, qui non Arabia, sed Phœnicia, contendit legendum. Nec ad rem facit, quod ait Berytum non Arabia sed Phœnicia urbem esse. Poterant enim in urbe Phœnicia studiorum causâ consistere Arabes. Et id est quod dixi, scholares Arabia non intelligi in Arabiâ degentes, sed in Arabiâ ortos; Arabes, sed in Phœniciâ juri studentes. Sed ait vir doctissimus, Arabiam Imperii R. tum quidem partē non audivisse. Quod valdè mirer. Jamdudum enim sub Trajano



jano Sextus Rufus *breviario* auctor est, Armeniam Mesopotamiam, Assyriam, & Arabiam provincias factas, limitemq; orientalem supra ripam fluminis Tigridis constitutum. Et quamvis Hadrianus successor Trajani, hujus invidens gloriæ, sponte suâ Armeniam, Mesopotamiam & Assyriam reddiderit, mediumq; inter Persas & Romanos Euphratem esse voluerit, Arabiam tamen restituisse, non reperio. Fac restituisse aut in libertatē sese Arabas vindicasse, tamen idem Rufus à Severo eam denuo provinciā factam testatur, unde & nomen Arabico ei dictum. Et quamvis Persæ subinde rebellarent, tamē semper victi, ita ut Diocletian⁹ & Maximian⁹ Impp. (quorum hoc ipsum rescriptū est, ad Arabes.) ad internecionem usq; eos ceciderint, quo factō ait Rufus pacem factam durasse usq; ad suam ætatem. Vixit autem sub Valentiniano, cui breviarium suum dedicavit.

15. Non adducam jam Pauli Diaconi *hist. misc. lib. 10. c. 3.* Messalæ Corvini *de Augusti progenie* & aliorum testimonia, quibus certior, quàm eorum quæ ad Sagram olim, sit fides, Arabes sub Diocletiano in ditioe Pop. Romani fuisse. Hi ergo studiosi Arabes, cum ad personalia munera domum devocarentur, ab Impp. hisce impetraverunt, ut usq; ad annum XXV, in Academia Berytensi ad capeffendam juris scientiam consistere liceret.

16. Pergo ad seculum IV. quo studio juris usq; adeo eluxit Berytus, ut Eunapio, in vitâ Proæresii audiat horum studior. mater. Et hoc ipso seculo vixit auctor ille anonymus Græcus, qui ἐξ ἡμῶν τῶν κερμῶν Constantio & Constante Impp. scripsit, à Godofredo filio editus, qui de Beryto tradit, in eâ juris Auditoria haberi, per quæ omnia Romanorum tribunalia stent, cum ibi edoceantur Viri, qui per omnem terrarum orbem Judicum Assessores fiant, atq; provincias tueantur, ad quos constitutiones subinde mitti soleant.

F 2

17. Dicit



17. Dicit Juris auditoria ibi haberi. Ergo uno plura. Unum depingitur à Zachariâ Scholastico, Episcopo Mitylenæo, dialogo de opificio mundi, quod spectaculum fuerit dignissimum, pulcerrimumq; , mirabili picturarum & ornamentorum varietate distinctum, tantâ deniq; , tamq; inusitatâ elegantia, nemo ut spectatorum satiari unquam possit. Et imprimis ad ornandum hoc Auditorium, Eustochii Episcopi magnificentiam prædicat. Ex his auditoriis ait Geographus omnia Romanorum tribunalia, tanquam coloniis deductis integrari, Judicum assessoribus per omnem Romanorum orbem inde accersitis.

18. Jamdudum scilicet observatum est, Judices, id est, magistratus Romanos plerumq; juris fuisse imperitos. Nempe viros militares, ex nobiliori familiâ quadam, arma, quàm leges scientes potius, quod & Græci Interpp. ad *L. 2. ff. Quod quisq; jur.* his verbis notant: πολλάκις οἱ ἄρχοντες οἱ τῶν δικαστηρίων καθήμενον σὺν ἰσοσιν ἀκροβῶς τῆς νόμου περιβαλλόμενοι ἔχουσιν. Διὰ τὸ καλῶς εἰδέναι τῆς νόμου, ἀλλὰ διὰ τὴν ἀξίαν καὶ τὴν πρὸς τὸν βασιλέα ἢ πῶς, ἢ συγγένειαν. Hinc fiebat, ut quicquid decernere vellent hi magistratus, id ex suggestione & consilio assessorum Juris peritorum fiebat, ut Seneca apertè indicat *lib. 1. de tranq. an.* his verbis. Qui inter peregrinos & cives ut urbanus Prætor adventibus assessoris verba pronunciat.

19. Erant enim Assessores Consilarii, qui juris scientiam suggererent, quo de videndus *tit. ff. de Assessor. l. 7. C. de Assessor. & domest. & Cancell. Jud. l. 1. C. Theod. de Comit. qui illust. agent. assiderunt.* Huc pertinet, quod Macarius *Homilia 15.* ait: ὅταν γένηται ὁ ἄρχων, λαμβάνει εἰς τὴν βοήθειαν τὸν συγκάθεδρον. Et quid clarius pro hac re, quàm quod Cicero *pro Plancio*: *Populus R. ait, magistratum virtute & innocentia contentus est. Quotus enim quisq; disertus, quotus quisq; juris peritus est.* Deniq; nec latere juris studiosis potest, imprudentiam assessori imputari, non magistratui, *l. 2. ff. Quod quisq; jur.*



20. Augustinus *lib. 8. confess. c. 6.* talem de scribit Alipium suum. Verba sunt: *Alipius ociosus ab opere Jurisperitorum post assensionem tertiam.* Hinc Libanius Sophista, *oratione de vitâ suâ* hos appellat *δικαζομένους συμάχους*. Dicebantur & *πάρεδροι*. *Nov. 60. c. 11.* Ulpianus Rhetor in Midianam: *πάρεδροι ἐδίδοντο τοῖς νεώτεροις, οἱ νῦν καλέμενοι συγκάθεδροι.* Sed de his appellationibus Jctorum consummatiffa illa idéa, Cujacius videri amplius potest, ad *N. 119.*

21. Porrò hoc eodem seculo vixit Libanius Sophista sub Valente Imp. qui Berytensi juris auditorio frequentissimum studiorum concursum invidens conqueritur oratione, 26: quod abdicato eloquentiæ studio adolescentes ad hauriendam juris disciplinam contenderent.

Hoc nimirum ægrè ferebant jam tum quoq; Sophistæ, si imbibitis Philosophorum placitis, quò magis prodesse Reipub. possent adolescentes, ad legum latices hauriendos properarent, ut observat Caspar Barthius ad Zachariam Mitylenæum, Ipsi enim Sophistæ seu Rhetores principatum omnium scientiarum sibi vindicabant, & sub flores affectatæ eloquentiæ rapere connitebantur.

22. Hoc eodem tempore anno XII. Constantii Imperatoris ut res humanæ nunquam perpetuo stabiles, cum summo stare fastigio videretur hæc Academia, urbs terræ motu maximam partem esteversa, ut scribit Cedrenus. Sed surrexit tamẽ cum urbe & Academia. Nam seculo V. Nonnus lib. 41. Dionys. Berytum salutat *τερπνῆς Φοινίκης κλυτὸν ἄστυ, νόμων ἑδὼν Αὐσονίων.*

23. Seculo VI. sub Imperatore Justiniano augusto elogio Berytus celebratur, civitas legum veneranda, & splendida metropolis, in *constit. de conf. Dig. §. 9.* Et constitutione alterâ de ratione juris docendi, ad Antecessores §. 7. ait Berytum legum nutricem bene appellari posse.

F3

25. Erant



24. Erant tum temporis Professores Juris unus Dorotheus, quem Magnificentissimum Quæstorem, & Doctorem in civitate juris, nempe Beryto, vocat Justinianus. Et in *l. 2. §. 9. C. de Vet. ju. enucl.* appellat eum, virum illustrem, & facundissimū Quæstorem, quem in splendidissimā Berytensium civitate leges discipulis tradentem propter ejus optimam opinionem & gloriam ad sese adduxerit, participemq; operis, nempe enucleandi jus vetus, fecerit.

Alter, cujus Imperator & ipsius meminit, erat Anatoli<sup>9</sup>, quem Justinianus magnificenrissimum magistrum, id est, Professore appellat. Et in *d. l. 2. §. 2. C. de V. I. E.* elogio viri illustris exornat, & Magistri, qui & ipse apud Berytenses juris interpretres constitutus ad vetus jus componendum allectus esset. Addit Imperator hunc ab antiquā stirpe, nempe à tertiā generatione (ut habetur in *constit: Dedit nobis Deus.*) jura Beryti profitentium descendere. Pater enim ejus fuit Leontius, avus Eudoxius, quas Imperator optimam in legibus memoriam reliquisse deprædicat. Appellat utrumq; & Dorotheum & Anatolium Imp. illustres Antecessores in inscriptione *Constit: quæ incipit: Omnem Reip.*

26. Nectamen hic titulus tum temporis Professorum erat. Nam eandem constitutionem ad Salaminum quoq; dirigit Imperator, quem disertissimum solū Antecessorem nuncupat. Nempe priores illi Comites sacri Consistorii, eodem scilicet honore decorati, quo sunt, qui vicariā dignitate potiti erant. *L. un. C. de Profess. qui in urb. Const. docentes ex legibus meruere Comitivam. L. sing. C. de Comit. qui provinciar. regunt.* Unde Theophilus dicitur Comes sacri Consistorii, in *constit. de novo Codice fac.*

27. Sanè aliis etiam locis, ut Alexandria, Cæsareæ & alibi jus Romanum eo tempore docebatur, nulla tamen urbs fuit, cui



cui publicâ Imperatoris auctoritate permissum fuisset, præter Romam Constantinopolin, & Berytum, gravi interminatione adhibitâ denarum nempe auri librarum, si qui extra urbes regias & Berytensium Metropolin hoc facere ausus fuerit. Neq; hoc solum: sed & rejici ab eâ civitate jubetur, in quâ non docere leges, quàm in leges committere videatur, ut habent verba Imperatoris in Constit. *Omnes, &c.*

CAPIT V.

*De Academia morbis, calamitate, interitu.*

*Conspectus.*

1. Berytensium Studiosorum novitiorum petulans initiatio. Pennalismus.
2. Similis initiatio olim Athenis.
3. Justinianus ejusmodi serviles ludos Beryti & Constantinopoli prohibet.
4. Mandat Præfecto Urbi talia vindicare Cpoli. Beryti verò Præsidi Phœnices, Episcopo Beryt. & Prof. injungit coercionem.
5. Non tamen fuit extincta protervia, quin tertio, post Justinianum seculo denuo opus fuerit eam damnari.
6. Nomen petulantia, erat cylistra. Canon. concilii VI. in Trullo, eam damnans. Balsamonis expositio.
7. Vocis expositio ex Suidâ, Hesychio, Polluce, Vitruvio.
8. Nostra conjectura, quid fuerit monstri, cylistra.
9. Pancratium *πεὶ κυλίσεως* versabatur.
10. Terræ motus Berytum prosternit, & surgere conatam incendium penitus hausit.
- II. Epigramma Græcum *πεὶ ἀλώσεως* hujus, Latinè à Rittershusio redditum.

II. Inde



12. Inde Berytus e manu Saracenorum à Regibus Hierosol. vindicata, Benjamin Tudelensis. A Saladino capitur urbs.
13. Jus habuit Reges Babylonæ, vel Hierosol, ut ibi coronarentur.
14. Hodie emporium est & portus Syriæ.

I.



Alis ac tanta fuit Berytensis

Schola, cum inter studiosos quædam petulantior novitiorum initiatio, non absimilis ei, quem penulismum hætenus, aut nescio quem statum appellat.

2. Sed & eadem prodigiosa initiatio Athenis quoq; grafabatur inter Rhetorices studiosos, quâ de videri possunt Photius *in Bibl.* Gregorius Nazianzenus, *orat. 20.* & Eunapius Sardinianus *Proæresio.* Mihi enim his ineptiis immorari tantum non senio est: Sed tamen Berytensium studiosorum morem verbis Imp. Just. non possum facere, quin referam, ex constitutione ejus de ratione & methodo juris ad Antecessores §. 9. ita habent verba:

3. *Illud satis necessarium constitutum cum summâ interminatione edicim<sup>9</sup>, ut nemo audeat, neq; in hac splendidissima civitate, (Constantinopoli) neq; in Berytensium pulcerrimâ urbe, ex his qui legum peragunt studia indignos & pessimos, imò magis serviles, & quorum effectus injuria est, ludos exercere, & alia crimina, vel in ipsos Professores, vel in socios suos, & maxime in eos, qui ludos appellet eos, ex quibus crimina oriuntur. Hæc Imperator.*

4. Et statim §. seq. mandat Præfecto Urbi Constantinopoli tam observare, quàm vindicare; In Berytensium autem civitate



civitate Præsidi Phœnicæ maritimæ, & Episcopo Berytensi, unâ cum Legum Professoribus jubet coercere injuriosos hos ludos. Nec dubito, quin fecerint officium cum Præfectus Urbis tum Præsides Phœnicæ, cum Episcopo & Professoribus Berytensibus.

5. Sed petulantia instar Hydræ est, cujus uno capite reciso plura renascuntur alia. Hinc Patres synodi sextæ in Trullo habitæ c. 71. sub eadem interdictione eos inhihent, tertio post Justinianum seculò, sub Constantino Pogonato.

6. Et signatè quoddam eorum genus damnant, quas CYLISTRAS appellant. Canon ita habet; Eos qui docentur leges civiles, Græcis moribus uti non oportere, & neq; in theatra induci, neq; eas, quæ dicuntur, cylistras peragere, vel præter usum communè sibi vestes induere, nec quo tempore disciplinâ aggrediuntur, vel ad finem ejus proveniunt, vel, summatim dicendo, in ejus doctrinæ dimidio: si quis autem deinceps hoc facere ausis fuerit, ἀφορίζω, Balsamo ad hunc locum de cylistris ita: κυλίστραι ἐγίνοντο, ὡς ἐμοὶ δοκεῖ, μεταξὺ τῶν διδασκόντων. τῶ μὲν γὰρ ἰδιῶ μὲν τὸν δὲ τὸν μαθητὴν, τῶ δὲ ἑτέρωθεν ἀντιπίπτοντι, αἱ κυλίστραι ἐπενοήθησαν, καὶ τὸ ἐκ τῆς τύχης ἀποτέλεσμα ὡς γὰρ σήμερον ἐν ταῖς ἵπποδρομίαις χάριν τῶν καγγέλων. Id est: Cylistræ autem fiebant, ut mihi videtur, inter eos, qui docebant: Cum enim hic sibi discipulum vindicaret, ille vero ex alterâ parte resisteret, cylistræ, excogitatæ fuere, idq; fortuitu, ut fit hodie in equorum curriculis de cancellis. Quod non satis capio.

7. Suidas interpretatur palæstram, conistram: κυλίστραν verò Julius Pollux lib. 3. c. 9. refert inter loca ἀσκήσεως Gymnasticæ. Notum etiam est conisterium palæstræ ex Vitruvio lib. 5. c. XI. Hesychius κυλίστραν, ἀλινθήθραν exponit, quod est volutabrum pulverulentum, quo jumenta volutant. Sic & idem Pollux alibi, nempe lib. 1. c. XI. locum, quo se equivocant ἀλίστραν, ἐξάλίστραν, κυλίστραν dici docet.

G

8, Unde



8. Unde suspicor, injuriosas, quas vocat Imperator has initiationes ita fuisse peractas, ut novitii nudati cœno vel pulvere volutarentur, instar athletarum, qui in Gymnasiis atq; palæstris suis nudi & oleo peruncti, atq; pulvere, arenaq; volutati luctabantur, quæ ad victoriam omnis ratio in subvertendo, terræq; affligendo adversario consistebat, ut tradit Plutarchus *II. symp. qua. 4.*

9. Inprimis autem id genus certaminis, quod pancratium vocabatur, *ᾧ τὰς κυλίσεις* seu circa volutationes versabatur, ut ex eodem Plutarcho constat. Meminit volutationis ejus quoq; Tertullianus de Pallio, Nam volutabantur, nexusq; suos expediebant, impediebantq; nec quisquam ante victus credebatur, quam se victum profiteretur, digitos sustollendo. Talem ergo volutationem conjicio fuisse studiosorum recens Berytū venientium infamem illam, & patribus concilii damnatam cylistram.

10. Cæterum anno Justiniani XX. horribilis terræ motus omnem pene Orientem concussit, qui usq; adeo Berytum prostravit, ut præter pavimenta nihil reliquum factum fuerit. Ingentem hominum vim ruentium ædificiorum mole fuisse oppressam memorat Agathia. Multos etiam Juvenes advenas nobiles & eruditos, qui addiscendarum Romanarum legum causâ eò commearant, periisse ruinis narrat. Itaq; Professoris juris, qui tum essent, Sidonem commigrasse, scholasq; eò translatas, tantisper, dum Berytus instauraretur. Ecce, hæc fata manent Studiosos! ut alibi ipsius terræ motu, alibi motu terræ filiorum opprimantur, quod & nostro tempore vidim⁹. Et quamvis instaurata urbs iterum fuerit, urgentibus tamen fatibus paulò post incendio miserè conflagravit.

11. Exstat in istam halosin tragicum epigramma Græcum in anthologiâ *εἰς πόλεις*, quod Conr. Rittershusius, J Ct⁹ celeberr. commentario ad Salvianum ita Latinè vertit:

Heu



Heu nimium infelix urbs, non urbs, lumine cassis  
Fusa solo, en jaceo mixta cadaveribus.  
Nec sat erat, me Neptuni sensisse tridentem:  
Mulciberis cladem hanc addidit ira novam,  
Hæc mihi quæ pridem fuerat pulcherrima forma,  
Eheu jam tenui pulvere versa jacet.  
Vos quibus hac iter est, nostræ miserescite sortis,  
Beryto & lacrymas post sua fata date.


12. Inde Berytum in Saracenorum potestatem delapsam  
anno Christi millesimo Centesimo XI, mense Aprili Balduin<sup>o</sup>,  
primus Hierosolymorum Rex terrâ & mari per duos continu-  
os menses impugnans, armorum vi recuperavit. Wilh. Tyr.  
Bell. sacr. lib. XI. c. 13. Circa hæc tempora vixit Judæus Ben-  
jamin, filius Jonæ Tudelensis, ut tradit Tsema David, sive chro-  
nicon Davidis Gans. (Mortuus enim ibi dicitur anno Christi  
1173.) qui suo tempore quinquaginta fermè Judæos Beryti vixif-  
se ait, quorum primarii R. Salomon, R. Obadias & R. Joseph.  
Sed anno millesimo centesimo 87. à Saladino capta fuit. Vi-  
de Helmold. Presbyt. Chron. Slav. lib. 3. c. 26. & ibi Dn. Ban-  
gertum Polyhistora industrium, amicum nostrum, commentario  
eruditissimo. p. 154. Qui ibidem quoq; fuit coronatus. Ita  
enim Helmoldus lib. 5. c. 3. Est, inquit, Baruth nobilissima  
civitatum & nobilissimum presidium ejus regionis. Quæ quia in  
optimo portu est maris sita, omnibus præbet introitum & exitum,  
nec ulla ibi potest navis, aut galea præterlabi, quin sponte aut in-  
vitâ ipsâ portui addatur. Unde factum est, ut ab ipso Syria ex-  
cidio, usq; tum, decem & novem millia captivorum Christianorum  
de eodem castro Saladini curiæ sint præsentata. Habet etiam ta-  
lem prærogativam, ut omnes reges illius terræ ibi coronentur. Un-  
de Salatinus cum eam cepisset, ibi coronatus & Rex Hierosolymæ sive  
Babyloniæ salutatus est. Unde hoc discimus, Berytum nostram  
eâdem



142  
câdem coronandi Hierosolymitanos Reges gloriâ, quâ Aquis  
granum. *Aur. Bul. c. 28. §. 2.* aut Francofurtum nostrates, in  
regni Germanici; Aut Mediolanum, in regni Lombardici, aut  
Bononia, vel qua fuit alia, in Imperii Romani coronâ impo-  
nendâ fuisse illustratam. At verò Berytus è manibus Saladini  
rursum decimo post anno à Christianis recepta, sæpiusq; tum  
à barbaris vicissim destructa & instaurata est. Vide Borchardum  
Monachum par. 1. c. 12. §. 9. Jacob. de Vitriaco lib. 1. c. 26. Zie-  
gler. in Syriâ f. 5. Cæl. Aug. Curion. & Wolfgang. Drechsler. ad  
anno 1290.

14. Nunc verò maximum & celeberrimum est emporium  
& portus Syriæ, Unde Berytiæ adferuntur uvæ, quas jam olim  
Plinius laudat lib. 15. c. 17. & hodie sunt nominatissimæ. In-  
colitur autem à Mahummedanis. Sed hic qui finis nobilissimæ  
juris scholæ, idem & hujus commentarii esto.


F I N I S.













ULB Halle  
005 132 568


3




YD17











B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

TRAUCHI

TVS

COD.

LIBERYTO

ublica

iori anno habitâ  
rali.

ius edita

GÆ  
LIGERIANIS

ifti  
LXI,

E. 4

102.44.2.4.41  
21  
~~1854~~

1660, 18<sup>a</sup>

8/

7

